

DE REBVS GESTIS

STEPHANI I. REGIS POLONIAE MAGNI DVCIS LITHVANIÆ, ETC. CONTRA MAGNVM MOSCHORVM DVCEM NARRATIO.

Edictum Regium &c. ad milites.



ROMAE, Apud hæredes Antonij Bladij impressores Camerales. M. D. LXXXII.

ILLVSTRISSIMO ET REVE- RENDISS. DOMINO STANISLAO CARNKOVVSKI, ARCHIEPISCOPO GNESNENSI, REGNI POLONIAE Primati, Legato Nato, & primo Principi.

Flaminius Nobilius sacras manus humiliter osculatur.



AM diu est, Illustrissime, ac Reuerendissime Domine, cum regnum istud nobilissimum peculiari quodam amore prosequor. Nam & multa legeram; quæ optimis ipsum legibus gubernari, ordinum concordia, iustitia, pietate, animorum pręstantia, rebus pace, & bello pręclare gestis florere testabantur: & quoscunque Polonos noui (noui autem plurimos, magnaque mihi cum illis beneuolentia intercedit) humanitate, religione, doctrina politissimos, atque erga Italiam nostram egregie animatos esse intellexi: & clarissimum illud sapientiæ, sanctitatis, theologiæ lumen Stanislaum Osium Cardinalem de vniuersa rep. optime meritum priuatim etiam optimum habui patronum. Quo quidem vel vno nomine dignissima est terra ista, in quam bonorum omnium præcipuu sit sensus; quę celeste illud sydus sacrosanctæ Ecclesiæ dedit. Ac satis ille quidem naturæ vixit, satis gloriæ apud Deum, & homines, satis altissimo sempiternę felicitatis gradui promerendo: nobis quidem, qui illius virtute fruebamur, non satis. Cuius memoriam nisi perpetuo, sancteque colam; me nec hominem arbitrer. Euenit autem peropportune, vt Stanislaus Rescus Protonotarius Apostolicus, & Serenissimi Regis tui Secretarius, sanctissimi illius viri dignissimus alumnus (quo mihi vno virtutes omnes contineri videntur) quasi communicandæ consolationis causa cum multa alia ad eximiam tuam lau-

dem pertinentia mihi de te narraret, tum vero summam voluntatum, studiorumque cum Cardinali, cum viueret, coniunctionem, continentes vigilias tuas, labores, contentiones in catholicę fidei propugnatione susceptas, incredibilem in omnibus Episcopalibus muneribus obeundis diligentiam exponeret, eiusque rei pręclarum documentum ostenderet orationem illam tuam de tuenda vnitate fidei aduersus fœdus illud, quod specioso pacis titulo fucatum non tamen esset pax, sed maximi, & calamitosam paulo post vastitatem allaturi incendij dissimulatio: qua quidem oratione nihil legi doctius, ardentius, verę pietatis plenius, ad regni salutem accommodatius. Accesserunt Iacobi Lampirij, & Alberti Stauierij familiarium tuorum sermones: quos ego quidem homines statim Polonos agnoui: ea est illorum religio, humanitas, eruditio. Ab his cum multa alia de te cognouissem; gauisus mihi sum, istique regno gratulatus: & Deo Opt.Max. gratias egi; quòd uno auulso nō deesset alter ijsdē itineribus ad immortalem gloriam tendens; qui Osij vicem defensurus acerrimo studio esset Ecclesiam, nec minus exemplo, quàm doctrina homines in vera pietate confirmaturus, atque in primo secundum Regem dignitatis gradu collocatus, totius regni Archiepiscopus, Legatus, Primas optimis consilijs salutem, incolumitatem, dignitatem reip. procuraturus. Itaque sensi me & amore tui, & consequendę beneuolentiæ tuę desiderio inflammari; atque ita mecum statui nullam mihi huius meę voluntatis declarandę remittendam esse occasionem. Ea vero nunc mihi sese obtulisse visa est, tibi acceptissima (sat scio), bonis omnibus periucunda. Etenim cū Plocensis Episcopus potentissimi regis tui ad Pontificem Maximum Legatus, quem singularis virtus, prudentia, morum probitas, & suauitas vniuersæ huic aulæ & amabilem, & admirabilem reddunt, duo primum Regis edicta, vnum ad milites de causis belli aduersus magnum Moscorum Ducem suscepti, alterum ad regni magistratus, atque ordines de supplicationibus ob captā Polotiam decretis, ac paulo post Commen-

men-

mentarios de rebus vſque ad hunc annum fortiſsime, & feliciſſime geſtis pro ſua humanitate legendos mihi tradidiſſet; viſus mihi ſum in ijs præclariſſimum quoddam vere Chriſtiani, vereque regij, & laudatiſſimis illis Carolis, Othonibus, Boleslais, Iagellonibus perſimilis animi ſpecimẽ ĩtueri: qui cum fortitudinis, ac potentię ſuę ſibi probe conſcius ex bello non offenſiones metuere, ſed victorias, triumphos, imperij acceſſiones ſperarę merito poſſet: adeo tamen pietatis, & charitatis retinens eſſet; vt nullam humanam gloriam, nullas opes non care vel vnius hominis ſanguine emi putaret: vt nõ modo ſuis, ſed etiam alienis libentiſſime parceret; vt bellum ĩnuitiſſimus ſuſciperet, & in medio ardore belli pacatiſſimũ ſe intus prętaret; denique vt omnia ad honeſtatem referret; ac ſi Deum ſibi propitium habeat, nihil prętere aut metueret, aut cuperet: vt mirandum non ſit tam bonę menti ſummum illum exercituum Dominum & initia & progreſſus belli mirabiliter fortunaſſe, plurimaſque, & maximas de potentiſſimo hoſte victorias intra paucos menſes conceſſiſſe. Quãobrem cum ea lectione ſummopere delectatus eamdem honeſtiſſimam voluptatem noſtris quoque hominibus (qui vbi excellentis virtutis effigiem, & quidem pulcherrimis ingenij, eruditioniſque coloribus expreſſam aſpicerent, habituri eſſent) cõmunicare ſtatuiſſem; edicta illa Romę vna cum commentarijs imprimenda curaui: & in tuo nomine ſplendoris, ac reuerentię pleniſſimo apparere volui. Putaui enim fore, vt neque hanc meam ad te obſeruandum propenſionem ſperneres, & clientem Cardinalis Oſiij in clientelam tuam libenter reciperes, & optimi Regis tui laudes, qui gloriam ſuam conſilijs ſapientiſsimi iſtius Senatus, in quo tu Principem locum tenes, non minima ex parte acceptam refert, propagari ad memoriam hominum ſempiternam magnopere lętareris. Ea ne me ſpes fallat, potius quia mos eſt ita faciendi, quàm quod tuę benignitati diffidam, te Illuſtriſſime & Reuerendiſſime Domine etiam atque etiam rogo. Deus te & Regno iſti, & ſanctę Eccleſię ſuę diu incolumem prętet.

VINCENTII CATTI VINCENTINI

SERENISS. POLONIAE REGINAE
Physici Carmen.




CILICET hoc votis deerat, REX maxime, nostris,
Post domitos toties hostes, Gedanumq; rebellem,
Vt Moschus meritas lueret te vindice pœnas.
Ille quidem tumidus sese tollebat in armis,
Et rapto gaudens, & tristia funera miscens.
Constitit at contra vt virtus spectata tuorum
Prosternens equitum turmas, peditumq; maniplos;
Tum Moschum videas pauitantem protinus omnē
Diffugere, atq. vrgere simul calcaribus armos.
Iamq fugæ nulla est hosti via; feruidus instans
SARMATA, ceu segetem, glomeratos ordine denso
Demetit ense viros, iustisq. vlciscitur armis.
Postquam cædis amor, rabida & deferbuit ira,
Tum lora expediunt, tum Moschis vincula nectunt.
Inceduntq. Duces onerati colla cathenis,
Deiecto nigram spectantes lumine terram.
Ergo alacres animis cuncti votisq; fauete
Et castas huc ferte preces. Te maxime Regum

Auspi-

Auspicia hæc meliora manent. Iam te duce fracti,
Iam profugique Scythæ latè tua iussa capescent.
Quiq. bibunt Tanaim, gelidasq. Borysthenis vndas:
Tu verò insignis solioq. innixus eburno
Regia iura dabis populis, erit aureus orbis:
Atq. preces nostras non auersatus IESVS,
Euentu implebit certo mox publica vota.

Οὐ τόσσον στεφάνῳ Στέφανος στεφανίζεται, ὅσσον
Ὁ Στεφάνου στέφανος στέμμασι τοῦ Στεφάνου.
Ἄλλο.
Σαρματικῆς Στέφανος βασιλήϊος κύρατο ἤθλος
Ἐκ στεφάνου κρείττων ὁ Στέφανος στεφάνου.

EDICTVM REGIVM SVIRENSE EXQVO CAVSAE SVSCEPTI IN MAGNVM MOSCOVIÆ DVCEM BELLI COGNOSCENTVR.





Tephanus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, &c. exercitus sui cuiuscunque nationis atque ordinis militibus. Etsi tanta & tam nota omnibus iniuriarũ magnitudo est, quas Magnus Moscouiæ Dux Regno nostro Poloniæ, Magnoque Lithuaniæ Ducatui adhuc attulit, vt arma hæc, in quibus hoc tempore versamur, sera potius cũctis, quàm vel præpropera, vel non satis iusta cuiquam visum iri arbitremur, tamen cum studium nostrũ satis expleri non possit, quo desideramus, vt quæ suscipimus gerimusque, cũ æquitate iustitiaque nos suscepisse, ij penitus intelligant, ad quos causa quæque attinere videatur: faciendum nobis hoc in bello existimauimus, vt exercitus nostri, cum eos non tantum ex Regni nostri Polonię, Magnique Ducatus Lithuanię, verum etiam Germanię atque Hungariæ, alijsque nationibus exteris compositos habeamus, certius vel recentiora cognoscant, quæ inter nos, posteaquam Regni huius nostri Principatum gerendum suscepissemus, & Magnum Moscorum Ducem intercessissent: quæ quidem istiusmodi sunt, vt facilè pateat, nihil à nobis prætermissum esse, quod ad Principis Christiani officium ad vitandum Christiani sanguinis discrimen, ad constituendum ex æquitate cum eo hoste concordiam, pertinere posset: ab illo autem, quæ suscepta actaque sunt, omnia cùm hostilibus iniurijs coniuncta, & ad arcium, ciuitatum, ditionumque nostrarum circumuentionem & detrimentum, nostrique nominis dedecus comparata fuisse. Nos quidem simul ac in Regnum hoc nostrum peruenissemus, vt cæteros Principes Christianos, partim nostro, partim ordinum Regni nomine, ita etiam Magnum Moscouiæ Ducem de ac-

A cessione

cessione dignitatis potentięque nostræ, deque optima nostra cum eo etiam pacis constituendæ colendæque voluntate, fecimus per internūtios nostros certiorem. Et dederat verbis, nonnullam tum significationem, mutuæ voluntatis atque studij sui erga nomen sanguinemque Christianum, & literas addidit, quibus ampliori alicui legationi nostræ securitatem accommodabat, & peculiari epistola, quæ etiamnum nostra in potestate est, confirmabat, se imperasse suis, vt dum mutuo inter nos per Legatos res agerentur, ab omni iniuria maleficioque in nostros abstinerent, exposcēs, vt eadem ad nostros mādata daremus. Et si verò tam callide hæc simulare non posset, quin se etiam tum proderet, verbis in nomen nostrum iniuriosis, infestus illius erga nos animus, tamen cum eo se vsque tantū iactaturam eius esse superbiam, in posterum vero illum ad mentem meliorem, & publicæ pacis, & suorum salutis curam aliquam reuocatum iri existimaremus, habita à nobis eius literarum cōfirmationi fides est: pro qua quidem fiducia, & mandata nostris dedimus, vt cum Moscis inducias diligenter cōseruarent, & ad ipsum Moscouiæ Ducem, Legatos quàm amplissimos, Magnificum Stanislaum Kryski Masouiæ Palatinum, Nicolaum Sapiha Palatinum Minscensem, ac Theodorum Skum in Curiæ nostræ Lithuaniæ Thesaurarium misimus. Quę dum à nobis fiunt, ille violata promissi fide (qua nos inducti, tantùm abest, vt ab eo, dum nostri ad illum Legati proficiscerentur, hostile aliquid pertimescendum putaremus, vt tuta nobis atque amica omnia polliceremur) subitò nulla, aut renuntiatione induciarum, aut belli denuntiatione adhibita, cum exercitu ipse, adeoque vnà filius natu maior Liuoniam inuasit, ac fraude potissimum, & conspiratione adductis in potestatem subditis nostris, in libertatem, liberos, coniuges, vitam, ac sanguinem Christianorum hominum crudelissimè flamma ferroque grassatus est, arcibus nonnullis ditionis nostrę, dum extremis in finibus Regni nostri necessario versamur, insidiosè occupatis: quo tempore, quæ illius in trucidandis per acerbissimos cruciatus captiuis truculentia, quæ flagitiosa in vexandis honestissimis nobilissimisque fœminis turpitudo, quàm inexplebilis in hauriendo sanguine Christiano sitis, & in omni genere iniuriarum immanitas fuerit, commemorari satis non potest, & qui supersunt crudelitati, & modis aliquibus se ex illa acerbitate liberarunt, satis ista testantur. Accesserant iam tum Oratores nostri ad ipsos Moscouię fines, cum inexpectatum de his Mosci cœptis accipiunt nuncium, quo quidem permoti, ad fines Moscouię subsistunt, nosque faciunt de violata pace, de qua literis suis Magnus Moscouiæ Dux nobis confirmauerat, diligenter certiores. Et si verò ab illo hæc fieri indignissime perspiceremus, tamen adducti, studio consulendi Christiano sanguini, atque hæc sine maiori Christianarum vtrinque Prouinciarum vastitate, atque incendio, ad tranquillitatem & pacem reuocandi, mādata nostris Oratoribus dedimus, vt se nihilominus ad ipsum Magnum Mo-

scouię

ſcouiæ Ducem conferre pergerent, & penitius, quis illi pacis nobiſcum colẽdę ſenſus eſſet, explorarent, ablatas verò à Moſco eo tempore res, contra literarum fidem, vt repeterent, & quę ſubditis noſtris ab illo calamitas proximè allata eſſet, eam modis omnibus ſarciri poſtularent. Quid tum verò? cum perueniſſent Oratores noſtri, ac Moſcus agere cum illis per homines certos ſuos cœpiſſet, ſubito ad omnem ſuperbiam, atque animi impotẽtiam deſcẽdit: Liuoniam non modo ab omni pacificatione, verum etiam mentione faciendа excluſit: nos dignitatemque noſtram Regiam, ijs verbis atque ſcriptis, à quibus non modo Principem virum, eumque Chriſtianum, verum quẽuis etiam cuiuſuis ordinis abhorrere quàm maximè decet, acerbè violauit, in Regnum noſtrum Poloniæ, Magnumque Lithuaniæ Ducatum ius ſibi arrogauit, idque vaniſſimis modis aſſeruit, dum à Pruſſo nunquam inter mortales cognito aut nato (quem Octauij Cæſaris fratrem, generis vero ſui auctorem fuiſſe contendit) orſus, ab eo ſe eſſe propaginem quartamdecimam ſignificauit: quibus quidem generis ſui vaniſſimis deliramentis, ſibi ius perquã abſurdè in vniuerſum Poloniæ Regnum, Magnumque Lithuaniæ Ducatum, aliaſque Prouincias vendicare inſtituit. Ad hæc omnia, cùm poſt multas variaſque actiones, noſtrorum Oratorum, cum Conſiliarijs Magni Moſcouiæ Ducis, quos eam ad rem deſignarat, de certa induciarum ratione conueniſſet, noſtrique pro eo ac vtrinque conuenerat, ſuas de eo literas perſcripſiſſent, & Magno Moſcouiæ Duci tradidiſſent, ille ſuas, quas è conuerſo daret, nõ (vt facere par erat) ad ſimilitudinem literarum earum, quas Oratores noſtri obtuliſſent, veritatemque mutuæ inter Legatos noſtros eiuſque Conſiliarios cõuentionis, ſed ad arbitrium libidinemque ſuam ita perſcripſit, vt inducias ad Liuoniam pertinere nollet, quinimò nõ modò eam ſibi cum Curlandię Ducatu, verum etiam quicquid nobis vſque ad Pruſſię fines ditionum eſt; (intereſt autẽ ipſius Lithuanię pars) cedi à nobis oportere ſignificaret, quas ſuas literas ita perſcriptas, cùm in eas iuſiurandum dediſſet, noſtris Oratoribus per vim ſuperbè obtruſit. Qua de re cùm nos Oratores noſtri ante ſuũ è Moſcouia diſceſſum, facerent certiores, ad Magnum Moſcouię Ducem, ex aulicis noſtris, internuncium miſimus, Nobilem Petrum Haraburdam, iterata cum teſtificatione propenſionis noſtrę, colendę cum eo pacis atque concordiæ, idque rei Chriſtianæ conſulendi cauſa, qua quidem in teſtificatione luculenter oſtendimus, ſi commune idemque vtriuſque noſtrum iuramentum eſſe deberet, communem eo iuramento inter nos atque omnes prouincias nõſtras pacem comprehendi oportere. Neque enim honeſtati atque rationi cõgruere, ſi iuſiurandum, de pace inter duos ſuſceptum, bellum quacunque de prouincia inter eos ipſos conſequatur, quodque ſanctiſſimum concordię vinculum ſit, in eo locus hoſtilitati relinquatur. Conuenire prętereа nobis tãquam principibus Chriſtianis, vt nos dictis factiſque omnibus, ita maximè re-

 ligioſę

ligiosę isti iurisiurandi affirmationi, constantiam adhibere. Curandum igitur esse, vt ne qua inter nos fidei, rectęque factorum nostrorum conscientię, vis afferatur. Quæ nostra ęquitatis optimique studij plena cohortatio, tantum abest, vt ponderis aliquid apud Moscum habuerit, vt internuntium nostrum, posteaquam admisisset audissetque, à se longè remouerit, & in modum captiui diu inuitum retinuerit, cumque suos ad nos Legatos misisset, in Liuonia, missis iam ad nos Legatis suis, arces nostras, ac sigillatim Vendam bis oppugnauerit: Quod cum per insignem faceret iniuriam, effectum Dei omnipotentis beneficio est, vt & exercitus ille, à nostris copijs, cum ad eas Suetica auxilia accessissent, deletus sit, & in potestatem nostram tormenta aliaque, quibus nostra oppugnabat, cuncta peruenerint. Sub id ipsum tempus Legatos Moschicos ad nos Cracouiam, in ipsum Regni nostri quasi domicilium atque sedem admisimus, cum eo tum loco, per magna propè vndique gentiũ Christianarum, frequentia hominum versaretur, Legati externorum Regum Principum atque nationum adessent: quorum in oculis, cùm eos audiendi causa ad nos in Senatum nostrum perhonorificè, vt fieri inter Principes par est, introduci curassemus, à fastu suo nostręque dignitatis contemptione orsi, ad explicanda, quę haberent, mandata, nulla cohortatione se passi sunt adduci, quod à Magno suo Duce pręscriptum sibi esse significarẽt, ne quę apud nos verba facerent, nisi nos antè, quę à nobis superbè atque ad derogandum dignitati nostrę, in quodam genere habendi sibi honoris flagitarent, pręstitissemus. quod cùm nobis minimè committendum iudicassemus, neque illi à fastuosa pertinacia se deduci finerent, etsi iterum atque iterum ab illis, vt dicerent, contenderetur, indictis rebus è Senatu nostro, atque adeò Cracouia discesserunt, atque ita re vlla non modò non confecta, sed ne affecta quidem diciuę ab ijs cœpta permisimus, vt se in Moscouiam referrent. Quę omnia, vt perspicuè testantur, quale nostrum extiterit suscipiendæ cum hoste illo cõcordię pacisque studium, quod consulendi sanguini ac tranquillitati Christianę desiderium, ita ostendunt planissimè, Magnum-Moscouiæ Ducem eò potissimum incumbere, hoc agere, huc omnes sensus conatusque suos conferre, vt nobiscum hostilibus iniurijs perpetuò dissideat, & cùm ditionibus nostris, tum nomini amplitudinique nostræ modis omnibus derogatum velit. Misit ad nos postea per Nuncium suum literas, quibus à nobis postulat, vt in ea induciarum verba, quæ citra Oratorum nostrorum assensionem perscripta ostẽdimus, iusiurandum daremus, Legatis suis redeundi ad se potestas fieret, & si visum nobis esset, Oratores ad se iterum mitteremus, qui de Liuonia secum agerent: Quàm autem & ab ęquitate, & ab officio dignitateque nostra alienum sit, ad ea nos iureiurando descendere, quibus non modo assensum nullum vnquam accommodauimus, sed de quibus nos cogitationem aliquam suscipere non oportere intelligimus, quis non perspiciat? Qui enim nos eius crudeli-

crudelitati Liuoniam, Curlandię Ducatum, ditionesque alias nostras, quæ Lithuanici iuris intermediæ inter Liuoniam & Prussiæ fines sunt, permittere possimus, quæ nobis pro Regio nostro Sacramento, quod in nostra Regni inauguratione verbis solemnibus dedimus, omni fide, cura, conatu tuenda, & ab aliena potestate, vitę etiam nostrę discrimine defendenda intelligimus? quod quidem officinm nostrum, vt nobis antiquissimum commendatissimũque semper fuit, ita alienæ ab eo voluntatis significationem nullam vnquam dedimus, neque de ea Oratoris nostri quicquam polliceri potuerunt, atque adeò constat, minime pollicitos esse. Nam quæ illi in verba cautionis suæ de inducijs perscriptę iurarunt, ea ab omni istiusmodi concessione longè remota sunt. Quæ verò non modò pacis inter Principes feriendæ, sed inter priuatos etiam conuentionis alicuius ineundæ ratio, quę vis, quę necessitudo esse possit, vbi res alterius cupiditate atque arbitrio geratur, alterius non modò nulla consensio volũtasque, sed ne quidem suscepta aliqua cogitatio accedat? non vtrinque voluntatibus ad consensionem adductis, & literis non tantum sententiarum, sed propè verborum omnium similitudine perscriptis, negotiũ administretur? Quod quidem ita administrari & solere & oportere, hunc ipsum hostẽ nostrum fugere haudquaquam potest, vt non iuris æquitatisque memorem, at ea tantum recordantem, quæ in sanciendis induciis, & pace ferienda, inter Serenissimos prædecessores nostros, atque eius maiores, adeoque cũ illo ipso, antehac suscepta atque vsurpata fuerũt. Neque verò minus, quàm superiora illa & hoc iniquum est, quod Magnus Moscouię Dux, nos in literarum suarum verba iurare voluit: quæ quidem literæ, etsi ex voluntate atque consensione vtriusque nostrum, ac literis Oratorum nostrorum congruenter scriptæ fuissent, tamen vt ille in cautionis suæ formulam iurasset, ita nos in nostram iurare conueniret: tantum abest, vt à nobis in eas literas iusiurandum rectè possit exigere, quæ ab ipso pro arbitratu suo perscriptæ, ab animi nostri sententia, mandatisque nostris, & Legatorum nostrorũ assensu, plurimum dissident. Quæ omnia quàm plena iniuriæ dolique fuerint, quis non facillimè perspiciat? cuius quidem doli studia, ex eo se etiam ostendere, quod quæ communicata, gesta, actaque inter Oratores nostros, & eos, quibus agendi cum nostris Moscouiæ Dux negocium dederat, quæque ab ipso Duce cõstituta fuerant, Legati eius, cùm ad nos Cracouiam venissent, profiteri atque explicare minimè voluerunt. Ad has verò omnes fraudum technas, mox armata vis, apertęque iniuriæ accesserunt, cùm nõ modò Liuoniam assiduis direptionibus ac bello infestũ habere Moscouiæ Dux non desineret, verùm etiã in finibus Vitepscẽsibus, in ipsa Magni Ducatus Lithuanię ditione, propugnaculum nuper collocaret, ac per suos rei militaris pręfectos, illis etiã locis, subditos nostros trucidare alios, alios crudelissime diriperet se deniq; maximis delectibus habitis, magis magisque cõtra nos armaret: quæ quidẽ

de re

de re, cùm non modò ad nos Illuſtris Curlandię Ducis, & Rigenſium, ſimul etiam noſtrorum in Liuonia prędidiariorum, quotidiani nuncij ac literæ peruenirent, ſed ſumma etiam imploratio opis defenſioniſque noſtrę accederet, nullo modo debuit potuitque belli adminiſtratio diutius à nobis differri. Proinde iuſtiſſimis iſtis grauiſſimiſque cauſis adducti, repudiandas minimeque iuramento noſtro confirmandas Moſci literas, de inducijs, ab ipſo arbitratu ſuo perſcriptas nobis eſſe iudicauimus: quinimò ipſas in Moſcouiam ad Magnum Ducem, expoſitis quibus id faceremus de cauſis, per internuncium noſtrum remiſimus, ac hoſti illi bellum iuſtum legitimumque indiximus, cùm iam tum ille maximas contra nos copias ad Pleſcouiam coactas haberet. Quod ad Oratores attinet, quos remitti poſtulauit, etſi qui neque literas, quibus fidem legationis ſuę facerent, nobis reddiderint, neque vllam legationis partem explicarint, exploratorum potius quàm Oratorũ loco haberi à nobis meritò potuiſſent, tamen quod Oratoribus noſtris in Moſcouia ſignificatum intellexiſſemus, Legatos eos ad nos miſſum iri, nihil illis in omni genere & honoris habendi, & lautia conferendi vllo loco ditionum noſtrarum deeſſe ſiuimus, permiſimuſque, vt quod facere obſtinauerant, nullis rebus apud nos expoſitis, ſe in Moſcouiam referrent. Quod verò poſtulabat, ut noſtros Oratores, qui de Liuonia agerent, iureiurando prius in eius literas de inducijs dato, iterum ad ſe mitteremus, non perſpicimus, quid agi de Liuonia per Oratores poſſit, ſi antè iurati in eius conditiones (quod expoſcit) non tantùm de Liuonia atque Curlandia, verùm etiam parte noſtrarum Lithuaniæ ditionum, quę medię Curlandiam ac Pruſſam dirimunt, decederemus. Minimè igitur nobis committendum eſſe intelligimus, vt noua legatione, nihil aliud, quàm Prouinciarum noſtrarum iacturam, ac nominis noſtri indignitatem aliquam incurramus. Intelligi atque adeò cerni arbitramur, quale noſtrum fuerit ſtudium, vitandi omnem Chriſtiani ſanguinis profuſionem, quod noſtrum pacis tranquillitatiſque deſiderium, pro quo quidem nos, ijs rationibus, quę ſupra expoſitę ſunt, experiri pacis conciliationem cum hoſte illo contendimus, atque omnia indignitatum genera, quę Maieſtati noſtræ Regię ab Magno Moſcorum Duce allatę eſſent, libenter tranquillitati publicę atque ſaluti, ſanguini, fortuniſque hominum Chriſtianorum condonauimus: verùm his noſtris omnibus ſtudijs ad concordiam pacemque propenſis, tantum abeſt, vt quidquam ab eo æqui boníque conſecuti ſimus, vt ille hoc magis effrenatę ſuperbię, atque impotentię animi ſui indulſerit, & quę ad contumeliam noſtram, noſtrique Regni & Magni Ducatus Lithuanię detrimentum pertinere poſſent, ſuſceperit. Cui quidem rei, vt modum aliquando finemque ſponte ſua facturum illum deſperemus, facit inueterata iam perpetuaque eius cum Sereniſſimis predeceſſoribus noſtris ſimilj genere agendi ratio, quam quidem ex ea iniuria ęſtimare licebit, qua Diuũ

Sigiſ.

Sigismundum Augustum Serenissimum prędecessorem nostrum affecit, cùm missos ad se ex ordine Senatorio splendidos Oratores, Palatinum Inouladislauiensem, & Castellanum Samogitiensem contumeliosè tractauit, & modis indignissimis contra gentium iura violauit, hominem Nobilem ex Serenissimi prędecessoris nostri aulicis spoliauit, & cùm res quasdam preciosiores inspiciendi causa accepisset, superbè retinuit, mercatoribus qui vnà venissent, magnam mercium vim eripuit, equos in Oratorum illorum conspectu productos ferro dissecari curauit: à qua indignitate vindicanda, cùm Diuum illum antecessorem nostrum mors, quę breui subsecuta est, exclusisset, nos per Oratores nostros postulauimus, vt iniurias eas id temporis illatas, sarcire studeret, cui quidem postulationi nostrę, nullum animus eius, iniurię pertinacissimus, reliquit omninò locum. Quid illa, quę Serenissimo antecessori nostro Henrico Regi per literas de pace vtrinque retinenda promiserat? & contempta promissi fide, non ita multò post capta Pernauia, alijsque Liuonię arcibus in potestatem suam redactis violauit? Qua quidem fidei vanitate, maiores etiam eius erga Serenissimos prędecessores nostros prope omnes vsos esse perspicimus. Neque enim obscura est plurium, qui ista verè memorię prodidere consensio, & maiorum istius Ducis Moscouię literis, quæ in tabulario Magni Ducatus nostri Lithuanię seruantur, cõprobari potest, quàm sępè Magni Moscorum Duces Serenissimis Polonię Regibus, pace suscepta, ac iurisiurandi religione sancita, ad tranquillitatis fiduciam adductis, & contra barbaros nominique Christiano infestos populos bella gerentibus, fidem impiè fregerint, pacta omnia violauerint, & redintegrato bello, vel à necessaria prædecessores nostros contra Ethnicos defensione, vel pulcherrimis pro Repub. Christiana cœptis reuocarint, & obsistere suis iniurijs coëgerint. Quorum maiorum in dictis factisque inconstantiam, fraudem & insidias, hic Ioãnes Basilij filius, hostis noster, non modò omnem in se admisit, verum etiam auxit; idque tum maximè egit, cùm literis missis ad Diuum Sigismundum Augustum Serenissimum antecessorem nostrum, de securitate Oratoribus pręstanda, qui ad se de pace concilianda mitterentur, scriptis, subitò Polociã inuasit, occupauitq; consimili fraude erga nos vsus, cùm postea quàm nobis fiduciam pacis attulisset, repente Liuoniam armis oppugnauit, & tamen nos, Regnum nostrum Poloniæ, Magnum Lithuanię Ducatum à defensione eius Prouincię excludere instituit. Quandoquidem igitur spes nulla nos tenere amplius potest, ad mentem fidemque meliorem Magnum Moscorũ Ducem se vnquam recepturum esse, quinimò iniurias veteres recentioresque nouis quotidie magis magisque accumulet, certę pacis fiduciam nullam afferat, omnia ad nos circumueniendum derogandumque cùm nomini tum ditionibus nostris suscipiat, nos adhibitis atque adeò consumptis omnibus studijs nostris, quibus fida atque æqua inter nos pax conciliari, & rei sanguinique

nique Christiano consuli posset, expleto iam omni officio Regis Christiani, hanc rem & Deo prępotenti, oculis hæc suis iustissimis aspicienti, & legitimę vendicationi permittendam iudicamus. Quo nomine remissis illis insidiosis induciarum literis, bellum iustum legitimumque, Ioanni Basilii filio, Magno Moscorum Duci denunciauimus: quo bello multiplicem nobis, cùm ab ipso Magno Moscorum Duce verbis literisque, tum ab eius Legatis factam contumeliam, allatasque subditis nostris acerbissimas multis iam annis iniurias, & detrimenta omnia, quę Regnum nostrum Magnusque Lithuaniæ Ducatus accepit, armis propulsare & vindicare in animo habemus. Vt verò perspicuum sit omnibus, nos ad eorum, qui Magno Moscorum Duci parent, hominum Christianorum calamitatem aut sãguinis profusionem minimè ferri, declaramus nos ita armis nostris moderaturos esse, vt ne iis (quanta maxima cura ac studio caueri poterit) quisquam violetur, qui non aut in præsidiis aut acie suo periculo propugnandas hostis nostri partes susceperit. Nam vt ab vno Magno Duce causas omnes, quibus in arma hæc impellimur, profectas esse intelligimus, ab vno nos honorem dignitatemque nostram oppugnari, ac prouincias nostras illius vnius libidine appeti ac sitiri perspicimus, ita in vno illo vindicare omnia, vnius refrenata audacia grassandique atrocitate, in posterum trãquillitati publicę pacique Christianę (si fieri vlla ratione posset) consulere desideramus. Quæ cùm ita sint, spe vel potius fiducia magna sumus, & Deum Opt. Max. quòd bellum grauissimis iustissimisque, atque adeò pernecessariis de causis iniuimus, nobis, exercitibus nostris, ac Reipub. vniuersę, quam obtinemus, benè & fœliciter fortunaturum esse, & principes Christianos, adeoque omnes homines, qui ista accipient, facilè arbitraturos, nos ad bellum hoc permagnum non temerè neque vlla profundendi sanguinem Christianum (cui prodesse, consulere, cauere semper studuimus) cupiditate ferri, sed ad ea hostilibus tot temporum per summam atrocitatẽ crudelitatemque exercitis iniuriis impelli, nostra dignitate, & Regni nostri Magnique Lithuaniæ Ducatus, cæterarumque prouinciarum nostrarum statu, & subditorum nostrorum salute, fortunis, vita, sanguine, quem hostis ille truculentissimus iam nimium diu immaniter hausit, necessariò commoueri, cõsilio iudicioque omnium Regni nostri Magnique Lithuaniæ Ducatus ordinum duci, denique nos fidam stabilemque tranquillitatem, & publicam inter populos Christiani nominis pacem concordiamque spectare. Quę quidẽ belli nostri causæ, quęque animi consiliique nostri ratio, etsi de militum nostrorum studiis, alacritate, fortitudine, fide, nobis dubitationem nullam reliquit: hortamur tamen, vt animum ad res nostro ductu in hostem hunc nostrum gerendas magnum fortemque adferant, existimẽtque & gloriæ & fœlicitatis summam in eo potiss. versari, si pro tam iusta honestaque causa dimicetur: subditi nostri diuturnas grauesque iniurias hostiles, vel à se vel ciuibus

suis

ſuis adhuc perpeſſas, hoc tempore pro more, virtute, rebuſque geſtis maiorum ſuorum, & vindicandas & in omne tempus ſibi depellendas ſtatuāt; extranei pro vicinorum ſalute, ſuām in diſcrimen vocare, fortiſſimeque armis contendere pulcherrimum, neceſſitudini quæ vicino ad vicinum eſt cōuenientiſſimum, & delere proximi parietis incendium, ſuę ſuorumque ſecuritati vtile exiſtiment: omnes ſibi tam iuſto in bello ſumma fortium factorum ſtudia eſſe adhibenda iudicent; quorum hoc maior laus atque gloria, quemque conſequetur, quò in grauiore hoc maioreque bello contra crudelem vniuerſi propè generis humani hoſtem nobiſcum verſabitur. Nos profecto cuiuſque militum noſtrorum virtutem, fidem, operam, conatum in omni genere præclarè factorum, ea beneuolentia, gratia, munificentia proſequemur, vt neminem geſtę abs ſe fortiter rei pœniteat, omnes intelligant nos cuiuſque induſtrię, fidei, fortitudini ſua præmia ornamentaque libenter tribuiſſe. Suiri die duodecima Iulij. Anno Domini, M. D. LXXIX. Regni vero noſtri Anno Quarto.



EDICTVM REGIVM

DE SVPPLICATIONIBVS

OB CAPTAM POLOCIAM.

Stephanus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, &c.



NIVERSIS & ſingulis, Reuerendiſſimis, Reuerendis, Magnificis, Generoſis, Regni noſtri Conſiliarijs, Dignitarijs, officialibus, nobilibus, atque alijs ordinibus omnibus, ſyncerè & fidelibus nobis dilectis, gratiam noſtrā Regiam. Reuerendiſſimi, Reuerendi, Magnifici, Generoſi ſyncerè & fideles nobis dilecti. Quod ſuperioribus proximis omnium Reipub Ordinum comitijs decretum fuit, vt bellum hoc anno contra Magnum Moſcorum Ducem adminiſtraremus, curę nobis pro Regio noſtro munere, noſtroque in Rempub. ſtudio eſſe ſiuimus, & contractis exercitibus noſtris, comparatoque aliquo partim contributionum pecunijs, partim (quod contributionum pecuniæ minime ſatisfacerent) alijs rationibus belli apparatu, extremā Iunij die Vilna ad copias noſtras recenſendas luſtrandaſque Suirum diſceſſimus. Quo quidem in loco, multa nos diligenſque deliberatio tenuit, quorſum nos potiſſimum cum exercitibus noſtris in hoſtem conferremus, quidque rectiſſimè, & quàm maxima cum vtilitate Reipub. nobis ante omnia, bello aggrediendum eſſet. Rebus verò omnibus in accuratam conſiderationem vocatis, ex iudicio, & Senatorum noſtrorum, & aliorum militarium virorum, qui nobis aderant, eam tandem in ſententiam deſcēdimus, vt primam noſtrorum armorū vim, ad Polociam oppugnandam conferri oportere concluderemus, quòd quidē ea arx ceruicibus Magni Ducatus noſtri Lithuaniæ, atque adeò ipſi ciuitati noſtrę Vilnenſi, nulla alia firmiore munitione interiecta immineret; ex qua arce, nobis in alijs remotioribus Regni locis occupatis, oblata occaſione ſūmam non modò Lithuaniæ diripiendæ, ſed Vilnæ etiam adoriendæ, facultatem hoſtis habiturus videretur. Faciendum præterea neceſſario nobis viſū eſt, vt cum bellum hoc, non modò rerum communis Reipub. recuperandarum cauſa, ſed hoſtem quàm longiſſimè remouendi, grauiuſque coercendi gratia ſuſceptum habeamus, expeditionibus noſtris, in his potiſſimum regionibus

gionibus, maxima anni parte, aut frigoribus grauissimis, aut imbribus assiduis militię infestis, tum quoque ob vastitatem difficillimis, propinquiorem aliquam sedem & quasi officinam, quam ipsa Vilna esset, compararemus: ex qua quidem officina, quam maxime integrum recentemque militem, penitius in solum hostile ducere, & belli instrumenta impedimentaque, minore cum negocio ad res cum celeritate fœlicitateque gerēdas transferre possemus. Quanta enim cum difficultate ac detrimento, Vilna illud facturi essemus, breui hoc itinere, quo cum exercitu nostro progressi sumus, magna nostra cum molestia cognouimus. Accessit & illud, quod hac arce, (qua firmiorem maioremque Moscus nullam habet) expugnata, de alijs retinendis hostem eò magis diffidere, & occupandis militem nostrum sperare doceremus. Tantum verò abfuit, vt nos eò deterreri oportere iudicaremus, quod locus ille ab omni opere bellique apparatu firmissimus esse perhiberetur, vt hoc potius de principio nobis, recentibus militum nostrorū viribus animisque, quàm ijs militiæ diuturnitate afflictis tentandum existimauerimus. Cùm igitur nihil factu potius vtiliusque iudicatum esset, nos factis ab inuocatione opis diuinæ auspicijs, Suiro primùm illustrem Nicolaum Radiuilum Palatinum Vilnēsem, cum aliquibus equitum peditumque Lithuanorum copijs, & certo Vngarorum numero, cum Generoso Gasparo Bekes, Polociā præmisimus, itinerum claudendorum causa, ne quid à Magno Moscorum Duce pręsidij accederet: quo etsi maioribus itineribus in magna etiam vię difficultate peruenisset, tamen cum iā antè nostras ad hostem literas misissemus, quibus bellum ei diligenti cum explicatione causarum denunciauimus, biduo antequam nostrę illæ copiæ ad Polociam accessissent, equitum & peditum aliquid ab hoste in arcem immissum fuit: adhibita verò à Palatino Vilnensi, postaquàm propinquo ad arcem loco consedisset, ea diligentia est, vt post nullius subsidij hostilis accessio facta sit. Nos cum exercitu nostro, & tormentis impedimētisque bellicis, in summa viarum iniquitate, quam pluuiarum assidua magnitudo, & istorum agrorum natura effecit, minoribus itineribus subsequuti fuimus: interea à copijs nostris, quæ præcesserant, arces tres, Cosiana, Crasna, & Sithna per excursionem celeriter occupatæ & incēdio deletæ sunt. Vndecima Augusti die, proximè Polociam cum copijs omnibus nostris mouimus, & propinquo ad mœnia loco castra metati sumus, arcem ciuitatémque tribus locis obsidione cinximus, eadémque die locis omnibus munitiones fossásque propius hostem agere iussimus. Postridie ciuitatem, non mediocriter fossis, & aggere, & propugnaculis, & parietibus densissimis, tum quoque præsidio firmam, ea maxime de causa, quod illo loco nos à propinquiore ad arcem accessu prohiberet, incendimus, ac totam paucis horis deleuimus. Tum longius munitionibus nostris ad ipsas arcis portas promotis, omni conatu in arcem expugnandam incubuimus, ac Ostenderat

vi sua præpotens Deus, in manu sua rerum gerendarum potestatem esse, & assiduas pluuias pluribus diebus ita immiserit, vt & operę militum maiorē in modum impedirentur, & oppugnādi ratio etiam atque etiam retardaretur: constitit tamen militi nostro in maximis etiam incommodis singularis animorum ad omnia obeunda tollerandaque ardor, sic vt in summa pluuiarum iniquitate, altissimoque luto nihil prætermitterent, quæ ad oppugnandum pertinere possent, hostibus contra omnes nostros conatus acerrimis animis, & incredibili tormentorum vi, ita dies noctesque propugnantibus, tanta peruicacia, & flammas à nostris illatas extinguentibus, & vim omnem depellentibus, vt se tormentorum telorumque nostrorum iniurijs certatim offerrent, & succumbentibus alijs alij confertim succederent, ostenderentque, Moschos arcium defendendarum vi atque ardore cæteris omnibus gentibus antecellere. Respexit verò tandem nos sua benignitate clementissimus Deus, concessitque, vt quæ prima nobis paulò serenior dies vicesima nona Augusti illuxit, ea incendium à milite nostro arci illatum sit, summa cum contentione atque discrimine, cum se miles noster in fossas demittere, & Polottam flumen superare, denique arduum cliuum, cui impositum propugnaculum erat, subire, & manibus materiam ignemque inter infestissima creberrimaque hostium tela inferre necesse haberet: quod incendium cum vehementius exarsisset, & munitionis anterioris aditum aliquem patefecisset, teneri militum nostrorum ardor non potuit, quin per ipsam flammam irrumperet, atque hostem feriret, à quo tamen cœpto, cum propugnatione hostili, tum maximè flammæ vi rejectus est, paruo cum nostrorum, neque amplius viginti septem desideratis, pluribus tamen vulneratis, hostium verò ad ducentorum interitu. Dederat aliquam hostis eadem die deditionis significationem, quam non seriam fuisse animaduersum fuit, cum nouis se munitionibus, flammæ altitudine nostris conspectum eripiente, circumdare deinceps cognitum esset. Nulla igitur cum intermissione oppugnationis vim omnem adhibendam, nullum hosti quiescendi, aut se firmius muniendi spacium concedendum iudicauimus, posteroque die ignem in alias munitiones partes miles, in quo equites etiam erant, qui misso equo in pedes descenderant, intulit: quo cùm iterum aliqua muri pars deleta esset, & cliuum in quo propugnaculum antea igne absumptum erat, miles tenuisset, ac deinde ad latus hostilium fossarum ac munitionum illa parte deleta tumultuario opere factarum; fossas ac munitiones ducendo præsidiarios circumire se cœpisset, atque sic in potestate hostis esset nos & sanguini Christiano parcendum, & operam dandam rati, vt arce quam maximè integra cum tormentorum aliorumque belli instrumentorum apparatu potiremur, quę hostis ipse ad extremum iniecto igne delere posset, facta omnibus vitæ gratia permisimus, vt qui nobis militare vellent (quorum qui velint magnus sanè

 est

eſt numerus) fortunas omnes ſuas incolumes conſeruarent, atque ſtipendia noſtra mererent; quibus redeundi in Moſconiam animus eſſet, id nobis per mittentibus, atque omnem ſecuritatem præſtantibus facerent. Cyprianus Archiepiſcopus Velicoluenſis Græci ritus, à quo & Polocenſem Epiſcopatum coniunctim adminiſtrari Moſcus voluit, & Palatini Baſilius Iuanouicz Mikulinski Telatovvski, Demetrius Michalovicz Sczerbati Obolinski Matthæus Iuanovicz Rzovvski, Iuan Hrehoroviz Suſin Petrus Iuanovicz Volinski, Lukian Tretiakovv Rakovv filius ſcriba, qui partim præfuere, partim in arce fuere, cum ſe ſponte dedere, ac gratiæ noſtræ permittere nollent, captos in cuſtodijs habemus, & arcem ipſam præſidio noſtro immiſſo iam obtinemus. In qua quidem arce, qui eam defendiſſent, & arma tuliſſent, vltra ſex millia fuiſſe compertum eſt. Noſtri cum ingreſſi eſſent, paſsim magnum cadauerum inſepultorum numerum repererunt, tum tormentorum ac pulueris tormentarij globorumque tantam vim deprehenderunt, quanta in arce aliqua Chriſtiani orbis his rebus inſtructiſsima poſſet reperiri. Quos quidem rei geſtæ ſucceſſus, vt imprimis ad Deum præpotentem referimus, ita illi ſumma animi pietate agimus gratias, ac ſync. & fidel. veſtras hortamur, vt eaſdem pro bene geſta Repub. agant, ſimul etiam comprecentur, vt quæ gerenda ſuperſunt, quæque in hoſtem hunc deinceps etiam ſuſcipiemus, itidem clementiſsime fortunare dignetur. Quod illum pro ſua benignitate, & cauſæ quæ hæc nobis arma induit bonitate, facturum confidimus. Nos quidem ad res pro communi Repub. gerendas, omne animi ſtudium, curam, laborem, operam, ſanguinem, adeoque vitam noſtram cupidè ſemper prompteque afferemus. Datum ex arce noſtra Polocenſi, die vltima menſis Auguſti, Anno Domini, M. D. LXXIX. Regni vero noſtri Anno Quarto.

Stephanus Rex ſubſcrip.

EPISTOLA QVA ORDINES AD REGNI COMITIA CONVOCANTVR.

Stephanus Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, &c.



MAGNIFICE syncere dilecte, posteaquam superiores proximas nostras ad syncer. vestram, & cęteros Regni nostri Consiliarios de capta Polocia, alijsque rebus gestis literas dedissemus; facta maior etiam hac rerum nostrarum accessio est, vt cum Vilnen. Capitaneus cum nonullis nostrorum militum Turouulam, ad arcem in Dinæ ripa sitam excurrisset, & hosti conspicienti opinionem attulisset, copias vniuersas nostras oppugnandi causa accedere, pręsidium omnę hostili metu perculsum, se per auersam portam arce, ac palatio arcis deserto, fuga eripuerit, quo pacto arce ea integrè potiti sumus. Misimus eodem tempore Magnificum Palatinum Podoliensem cum copijs SoKolam oppugnatum arcem quinque miliarium interuallo Polocię imminentem, & magnum pręsidium ex ijs copijs tum habentem; quæ cum Polocię à nobis circumsessæ subsidio missæ essent exclusæ à nostris ab accessu, illo loco consederant. Quā quidem ad arcē cum nostri castris positis ac munitionibus actis accessissent, eam ad vndecimam huius mensis diem globis candentibus inflammarunt, è quò tanta subito incendij vis extitit, vt dum hostis per ipsas flammas acerrime pugnaret, atque eruptionibus in nostros impetum faceret, nostri rem fortissimè contra hostem gererent, arcem vniuersam flamma complexa sit, planeque deleuerit. Hostem igitur (qua de re maximas Deo prępotenti gratias agimus) toto prope agro Polocensi arcibus ac munitionibus omnibus exuimus, Sussa excepta, quæ quidem arx propius Lithuaniæ sita cum sit, longiusque iam ab hostis nostri ditione absit, excluso subsidio aditusque Moscorum sponte in potestatem nostram ventura videtur, vt vis nulla adhibeatur. Omnibus rebus bene fœliciterque Dei benignitate confectis, etsi permagno continuandi nunc nostrum rerum gerendarum cursu, & penitus nulla cum intermissione in solum hostile penetrandi studio ferimur, tamen cum

temporis iniuria quæ(vt his locis grauissima & iniquissima est)exercitus nostros plurimum afflixerit, & eqnos in primis partim vehementer eneruauit, partim extinxit, tum quoque neruorum nostrorum tenuitas,quorum in longius tempus nobis ducenda ratio est, id nos facere non sinant, curandum nobis existimauimus, vt relictis quibus opus est in locis, iustis præsidijs nostris, copijsque dispositis, quę & irruptiones hostiles prohibeant, & milite iumentisque refectis hostis ditiones per occasiones subinde inuadant, comitia omnium communis Reipub. Ordinum habeamus: in quibus quomodo, quibusque neruis ac viribus in posterum res bellica,& ad summam rerum finemque optabilem producenda sit, deliberatio ineatus, & quod in rem erit communem concludatur. Neque enim si ea cuique quam esse decet in patriā charitas est deserenda proijciendaque hęc fœlicia cœpta sunt, quæ vt Ordinū omnium consensio antecessit, ita eam fœlicitas comitata est, & euentus itidem fortunati in posterum etiam consequuturi videntur. Nō enim dubitāter speramus facturum Optimum Maximumque Deum, vt his locis, quę hostis firmissima potentiæ suæ propugnacula habuit, iam expugnatis, adituque ad alia omnia patefacto, in magna hostili trepidatione & metu(qui quidem Magnum Moscouiæ Ducem etsi numerosos ex omni genere hominum exercitus habeat, nusquam se nobis offerre, aut obsessis suis subsidio esse sinit) breui fœlici ercum eo hoste debellari, & res ad exitum optatum adduci possit. Deliberandum igitur erit, dandaque opera, vt rerum deinceps gerendarum ratio, vires atque nerui constent, aut abijcienda omnis Reipub. cura fuerit: quod quidem nostra negligentia nunquam accidet. Hoc verò ocius indicenda nobis comitia esse iudicauimus, ne quid temporis ijs habendis nobis eripiatur; quod agendo potius, quàm consulendo consumendum sit: cū potissimum sciamus, Magnum Moscouię Ducem post D. Nicolai Festum in primis suscipere aliquid, & bella sua administrare solere. Vt igitur maturè nobis Consiliorum nostrorum ratio constet, & quid nobis in lōgius tempus expectandum, agendumque sit, intelligamus, & maiorum consultationum cura vacui tempestiuè iterum in res gerendas incumbere possimus, maturanda nobis generalia Comitia necessariò esse iudicauimus, & ea quidem ad diē XXII. mensis Nouembris indicimus, vt Vvarsouiæ habeantur. Et si verò Senatores & nobilitas Magni Ducatus Lithuaniæ à nobis diligentissimè peterent, vt in ipsa potius Lithuania hoc in belli actu, locisque in quibus bellum geritur, quàm longe ab exercitu nostro comitia indiceremus, tamen nobis à constitutione, qua de loco Generalis conuentus sancitum est, discedendū nō iudicauimus. Videmus verò Magni nostri Ducatus Lithuaniæ ordines in istis comitijs Vvarsouiæ flagitaturos, vt si durante hoc Moscorum Magno Duce bello, alia Comitia indici necesse sit, ea in Lithuania haberi possint. Cum verò eam controuersiam, quæ de tribus propè Comitijs suscipi & iac-

ctari, magnamque grauioribus consultationibus perturbationem ac tarditatem afferre solet, sublatam esse desideremus, considerandum erit, quibus ea modis cum æquitate partium vtrarumque concordia componi possit. Qua quidem in re nullius iura minui aut violari, sed omnia ad publicam consensionem referri cupimus. Est præterea opera nobis danda, maximè dum bellum his locis cum Magno Moscorum Duce gerimus, vt ex aliis Reipub. partibus diligentem finium & concordiæ cum finitimis curam habeamus, pro qua quidem cura in Generalibus istis Comitijs referendum nobis erit, quo modo eorum, qui in finibus versantur, insolentia & perniciosa quæuis audendi agendique licentia (de qua quotidianæ ad nos querelæ afferuntur) coherceri, & sanctione aliqua cum præsentiore animaduersione coniuncta refrenari possit. Ad hæc cum nobis pro maritali cum Serenissima Principe cõiuge nostra charissima coniunctione eius rationes curæ esse oportere intelligamus, vehementer cupimus de reformatione dotis, cæterisque rebus ad eã pertinentibus, certi aliquid in istis Comitijs constitui, quod quidem vt fiat, pro maiorum nostrorum Serenissimorum Antecessorum nostrorum in Rempub. communem tot temporum meritis, Ordines operam daturos iudicauimus, vt perspici possit erga tot optimorum Regum progeniem, gratorum animorum studia extitisse. Meminisse etiam sinceritatem vestram iudicamus, quæ terrarum nostrarum Prussię iam diu de iurium suorum violatione querelæ existant, de quibus considerandum esse diligentius iudicamus, quod istius modi querelas Reipub. minime prodesse, aliquando etiam maiori incommodo esse posse perspiciamus. Videndum igitur erit, vt in Comitijs finis aliquis istis querelis afferri possit. Neque enim terræ illæ contributionem illi parem, quę proximis Comitijs scita fuit, persoluunt, & de iudicijs peculiaribus contra Constitutiones Regni suscipiunt. Deinde quia iam ante superioribus Comitijs de termino definiendo, vltra quem versus barbarorum ditiones hæreditario iure conferri possessiones possint, constitutum est. Id etiam vt istis ipsis Comitijs planè determinetur, atque ad exitum deducatur, publicè referre existimauimus.

Si quid etiam fuerit, quod ad nos pertinere videbitur, de eo cum Ordinibus benigniter agemus. Videndum verò inprimis est, vt qui in bello hoc tempore contra hostem versantur, aut in posterum versaturi sunt, cum fortunas, valetudinem, sanguinem, vitamque suam in discrimen pro Repub. vocent, interea eorum in iudicijs ratio habeatur, quod nisi fiat, intantum abest, vt supplementa nostrarum copiarum, exercitusque noui à nobis scribi, & confici possint, vt nec hic ipse miles, qui etiamnum sub signis est, permansurus esse videatur. Hoc itaque constituto, hortamur sinceritatem vestram, vt cognita hac nostra de Comitijs Generalibus conclusione, Nobilitatum Conuentus minores ad diem XX. Octobris Srzodensem

ſem, Generalem verò Kolenſem ad diem tertiam Nouembris obeat. Quo nos Legatum noſtrum miſſuri ſumus, qui noſtrarum conſultationum ſummam Nobilitati exponat. Operam verò det ſinceritas veſtra, vt Reipub. neceſſitates nobilitati diligenter explicet, & eam ad ſtudium erga communē patriæ dignitatem vtilitatemque excitet: tum curet, vt ad conuentum Generalem prudentes & moderati animi conſilijq; viri, plena cum facultate ad concludendum cum aliarum terrarũ Nuncijs, alijſque Ordinibus mittantur. Ipſa verò deinceps ſynceritas veſtra maturè ad conſtitutum Generalibus Comitijs diem Vvarſouiæ nobis adſit. Neque enim illum diem eximi rebus alijs ſinemus, ſed ſtatim poſtridie eius diei, in quam Comitia indicimus, quibus de rebus conſultari oportere videatur, Ordinibus more maiorum proponemus, ne per neceſſaria Reipub. negotiare tardentur. His de rebus ſynceritatem veſtram certiorem facere voluimus, quas ſibi pro officio ſuo diligenti curæ eſſe ſinat. Synceritatem veſtram rectè valere cupimus. Datum Vladiſlauiæ die XXVI. menſis Septembris. Anno Domini MDLXXIX. Regni vero noſtri anno IIII.

Stephanus Rex.



RERVM POST CAPTAM POLOCIAM CONTRA MOSCVM GESTARUM NARRATIO.



APTA Polocia, & iam ante in vicino arcibus tribus, Cosiana, Crasna, & Sitna deletis, tres omninò arces, Turoulia, Socolum & Sussa in Polocensi ditione hostiles supererant, quas hosti relinquere, neque ex belli suscepti consilio, neque dignitate sua, neque rei abs se gestę fortuna Rex esse iudicauit. Turoulia quattuor supra Polociam arcem miliaribus, ad Dhunam flumen, quo loco illud Turoulia amnis illabitur, sita est, sic vt duorum amnium confluxu maxima parte comprehendatur, quaque in continentem patet, inter vtriusque pręterlabentis fluuij ripas, lacum transuersum, tanquam obicem, obiectum habeat. Quod inter Polocensem arcem, atque inter Vlam, Vitepscium, aliasque arces & ciuitates, altius in Dhunę ripis sitas, quę semper in potestate Regum Polonię retentę sunt, media Turoulia interesset, facile à Regijs castris ad Polociam positis, commeatum exclusit, qui commodè ex locis superioribus poterat importari: quę res nō mediocriter in exercitu annonę caritatem atque adeò inopiam auxerat. Qua de causa, circumsessa primum Polocia, Franciscus Zucus à Nicolao Radiuilo Palatino Vilnensi, tentandę certis cum copijs per celeritatem rei causa ad arcem Turouliam missus est: verùm quod & pręsidio firmo, & defensioni diligenter intente locus teneretur, & pauca minoraque belli tormenta Zucus secum traxerat, effici ex sententia nihil potuit. Socolum ab arce Polocensi quinque miliaribus ea via distantem, quæ Septentrionem versus rectissima Plescouiam ducit, duorum itidem concurrentium fluminum, Dryssę, & Niscię, complexus continet: ea in arce pręter vetus pręsidium, quod tuendi Polociam aditus causa firmum semper inerat, Theodorus Basilij F. Seremetus, & Borissus Basilij F. Seinus, Andreas Palecius, Michael Georgij F. Lycus, Basilius Criuoborsius Palatini, clari cùm propinquitate Moscouię Ducis alij, tum rebus antea gestis omnes copiarum Pręfecti, cum Magno Moscouiticę nobilitatis ac sclopetariorum numero consederant, posteaquam se ab aditu Polocensis arcis, primùm à Palatino Vilnensi obsessis itineribus, mox ipsa obsidione Regia exclusos esse-

eſſe intelligerent: acceſſerat huc etiam Georgius Bullahacus cum duobus millibus ſclopetariorum, partim Dunenſium, partim Volienſium, qui ad Dhunæ & Volhiæ fontium paludes ob perpetuas cum Tartaris dimicationes, cæteris belli vſu ac iaculandi peritia facilè præſtant. Quod hi omnes magno diſcrimine noſtrorum ex propinquo caſtris imminerent, dum oppugnatur Polocia, Lithuanicæ quædam copiæ primùm Ioanne Voliminſcio, deinde Chriſtophoro Radiuilo, qui in Lithuania Regi à poculis eſt, dimicandi ſtudio Socolam excurrunt: ſed quod hoſtis arce & munitionibus propè arcem extructis, aut propinquo tormentis ſuis ſpacio in tuto ſe teneret, velitationibus tantum, nonnullis vtrinque deſideratis, res geſta eſt. Vtramque arcem Rex occupata Polocia iuſtis copijs oppugnandam ratus, Nicolaum Mielecium Podoliæ Palatinum, cum equitatu Polonico ſtipendia merente, cumque peditatu Polonorum, ac Germanorum cohortibus Socolam mouere, Vngarorum copias Turouliam accedere iubet: ipſe, quod nec ex re nec dignitate ſua facturus videretur, ſi ad arcium iſtarum oppugnationes deſcenderet, motis trans Polociam caſtris, iiſque ſecundum flumen Dhunam metatis (quod priſtinum caſtrorum locum, obſidioni quidem opportunum cùm ad cingendum maxima ex parte arcem, tum ad prompta munitionibus omnibus, ex quibus miles oppugnabat, auxilia afferendum, aſsidui imbres iam ante iniquiſsimum, & valdè quàm cœnoſum effecerant) ad Policiam permanet, curatque quod ad arcem Polocenſem, qua munitiones aut flamma conflagrarant, aut tormentis verberatæ vitium fecerant, inſtaurandum pertineret: ſimul etiam arci Palatinum pręficit Nicolaum Dorohoſtaiſcium, in quem iam ante, Regno primum inito, non inani omine ius nomenque eius Magiſtratus contulerat: hunc ipſe in poſſeſsionem mittit, prȩſidium iuſtum imponit, & quibus circum locis miles finibus tuendis rectè collocetur, conſtituit: templi etiam, quod monumentum diuinę ad victoriam opis eſſet, ędificationem decernit. Interea dum quę opus erant ad Socolę & Turoulię oppugnationem expediuntur, & miles vaſa colligit, viſum eſt Palatino Vilnenſi, de Turoulia leuioribus copijs experiri, & quid hoſtibus in recenti conſternatione fiducię eſſet tentare: mittitur cum aliquo numero equitum expeditiorum armaturę leuioris, quos Coſaços nominant, Conſtantinus Lucomſcius Vlenſis prȩfectus, quem Torouhenſes prȩſidiarij cōſpicati, cùm pauor maiorē quā pro numero militū ſpeciē copiarum obieciſſet, exercitū vniuerſum adeſſe rati, per auerſam portā ſe properè omnes eijciunt, ac fuga euadūt, Palatinis ſuis deſertis, qui cū arcē ſibi non deſerendā putarēt, ac ſoli in ea permanerēt, ad quartam Septembris diem cū arce & belli apparatu ac cōmeatu omni Regiam in poteſtatem peruenerunt. Arci ita occupatę miles ille, qui ceperat,

 prȩſidio

prȩſidio relinquitur: is dum inter ligneas munitiones ac domos tæda ædificatas indiligenter ignē habet, tormentiſque maioribus gratulationis & læticiæ cauſa iaculatur, temere incendio cauſam præbuit: quod ſublatū paucis poſt diebus, quàm capta eſſet, arcem deleuit, vt non minore celeritate, quàm occupauerat, Turouliam miles amiſerit: quod quidem hoc iniquiore animo à Rege acceptum eſt, quo præſidio hoſtili Suſſam etiam tum obtinenti, Turoulia noſtræ poteſtatis facta, omnem ſubſidij aditum & commeatus accipiendi ſpem, certius eripere potuiſſet. Interea rerum Palatinus Podoliæ Socolam (à qua Dunenſes cohortes fama aduentantis exercitus permoti contra imperium Præfectorum, vt eſt genus illud militum leue & inſolens diſciplinæ, iam ante in Moſcouiam redierant) cum copijs progreditur, & Dryſſam flumen imbribus proximis admodum redundans, ponte ſubitario opere effecto, trāſmittit, hoſte quod facere in procliui erat nihil repugnante, qui in aduerſa ripa ocioſe tantum inequitans, inani metus faciendi ſtudio, clarè vt exaudiri à noſtris facile poſſent, ſubinde inter ſe ſciſcitabantur, adeſſent apud ſe Aſtracanorū, adeſſent Caſanorum copię, quas alter adeſſe magna itidem voce reſpondebat. Flumine ſuperato Palatinus nulla cū mora propius hoſtem mouet. Quà acceſſerat inter vtrūque flumen, non ita magno ab arce interuallo ſylua eſt, in qua maximam equitatus partē tendere iubet, peditatui imperat, vt munitiones, in quibus verſarentur, & tormenta dirigerent, foſſa atque aggere ſubitò efficiant: quas Poloni ſecundū Niſſam, Cermani iuxta Driſſam ita ad arcem perducunt, vt cùm iuſto iam ab ea ſpacio abeſſent, tranſuerſæ ab Nisſia Dryſſam, itidemque ab Dryſſa Nisſiam verſus promouerentur, atque opera vtriuſq; nationis committerentur: vltra Nisſiam amnem minorem, qua proptum hoſti effugium patebat, Ioannes Zbaraſius Palatinus Braſlauienſis conſiſtere & curare iubetur. Munitionibus perfectis, ac tormētis, vt viſum erat, collocatis, cùm iam tum in veſperum dies vergeret, qui tormenta adminiſtrant, periclitari rem globis candentibus inſtituunt, tribus tantum in hoſtiles ditiones perlatis, cùm alij alijs locis periculum incendij afferrēt, & ijs reſtinguendis hoſtis detineretur, tertius eo loco, quo naſcens primū fumus, mox flamma ab hoſte non facilè potuit deprehendi, vires cepit: ab hoc incendium ortum, cum magnam hoſtilium munitionum partem ſubitò complexum eſſet, hoſti ſummam defenſionis deſperationem attulit. Quo circa vt perditis trepidiſque rebus, & flāma ſe iā longius latiuſque fundente, pars magna hoſtium globo temerè facto, porta, quæ meridiem verſus ad Nisſiam vnà patebat, confertim erumpunt, quibus ex proximis munitionibus Poloni impigrè occurrunt, & obſiſtunt: perducitur eodem properè ſigno ſublato Germanorum ſclopetariorum cohors, ſic hoſtis in arcē flammamq; reijcitur, quem dum noſtri magna vi premunt, ſe atque
ſigna

ſigna portę arciq; inferunt: dabat mox hoſtis intra arcem deſperatis rebus magnas cũ armis tũ verbis dedendi ſignificatiões,quas cùm miles Germanicus Ruſicæ linguę neſciens,præterea Polocẽſis prędidij crudelitate, qua immaniſsima in captiuo omnes ac potiſsimum Germano fuerant,irritati, minimè acciperet , cædemque acerrimè miſceret , ille, deſperata ſalute totis viribus contrà dimicat , quæque ſupra portam cuſtodiæ erant, cataractam è turri portæ imminentem in irrũpentes deiciunt , ſic noſtros receptu alios,alios aditu ſubſidioque excludũt:atrox inde vtrinque pugna fuit,æquata vtrorumq; deſperatione ob incendij vim , quod vndique ſe circumfuderat , ac pluribus locis dimicantes inter ſe pari interitu victi ac vincentis extinguebat. Ad dexteram arcis partem per munitiones oſtium fuit,ad quodqui noſtrorum errando perlati ſunt,integri euaſere.Interea foris milites,quanta vi maxima poſſunt,cataractam moliuntur, atque opere magno perfringunt,patefacta via,qui noſtrorum ſupererant, faucij propè omnes atque ambuſti, pariter cum hoſte erumpũt, inferunt ſe integri alij prędæ ex ipſa flamma rapiendę cauſa.Pars magna hoſtium aut in munitiones,aut ſtationes Germanorum incidit, qui omnes per iram militarem,& linguæ ignorantiã interfecti ſunt:in his Boriſſus Seinus,Andreas Palecius, Michaël Lycus,Baſilius Criuoborſcius Palatini cecidere. Quibus in Polonorũ poteſtatẽ peruenire cõtigit,pleriq; omnes,cũ qui aliquo aut munere aut numero fuiſſent, pro ſe quisq; nomẽ ederet ſuũ, facilè apud linguę intelligentes ſeruati ſunt,ac captiui habentur:quorum in numero Seremetus eſt,vt rerum geſtarum fama,ita & corporis ſpecie vultuque & animi ſermonisque cultu cæteris præſtantior,& Meſoiadus Dunenſium aliquot cohortium Pręfectus,qui poſt militum etiam ſuorum diſceſſum, cum cæteris prędidiarijs in arce permanſerat: arx ipſa, cum iam incendio occurri non poſſet,conflagrauit.Hoſtiũ ad quatuor millia cæſa,quos ex lectiſsimo, & quidem prætoriano milite Magni Ducis fuiſſe , etſi excaptiuis cognitum eſt, tamen etiam ex ipſa corporum ſtratorum forma & proceritate , animiſque perditis in rebus adhibitis , tum prædæ ratione potuit intelligi:in qua quidem præda maior & pecunię,& veſtis precioſę,& aliorum ornamentorum numerus fuit,quam vt gregarij militis fuiſſe videri poſſet:captiuorũ eã multitudo eſt,vt & penes præfectos copiarum permulti ſint, & Polonorum militum propè ſint nulli,qui in poteſtate non ſingulos alij , alij plures habeãt. Suſſæ oppugnationem ſuſcipere,quàm difficilem & ſpatioſi lacus, & paluſtria circum loca , & Autumni ipſius tempeſtas redditura erant,temereque militem iam ante maximis incommodis affectum nouis periculis obijcere, Regi viſum non eſt , cùm potiſsimùm arcem eam penitius Lithuaniam verſus ſitam,& ab omni ſuorum ſubſidio,& commeatus conſequendi,poteſtate excluſam (vt vis nulla adhiberetur) ſponte dedituram ſeſe non dubitanter


tanter

tanter existimaret. Itaque præsidia tantũ militũ stipendiariorũ circumquaque in statuis disponit, quæ Moscos ab aditu ad Sussanos arcerent. Neque fefellit ea Regẽ existimatio. Nã & ipse Moscouiæ Dux, diffidens Sussam amissa Polocia retineri posse, sexta primùm, tum iterũ decima septima Septembris die mandata ad Petrum Theodori F. Coliceum, Palatinum Sussensem, ac præsidiarios omnes dederat, vt templi imaginibus & libris, omnique apparatu sacro in terra defossis, aut quacunque alia cura adhibita, ne in hostium potestatem peruenirent, arcem incenderent, bellica tormenta ac puluerem tormentorum omnem igne delerent: tum operam, qua euadere possent, diligenter darent, ac saluti suæ consulerent. Hæc mãdata cũ (quo certius perferrentur) per plures nuncios Susam misisset, nonnulli eorum in arcem perueniunt, unus à Regio milite interceptus, ad Palatinum Podoliæ cum litteris perducitur. Sub idipsum tempus Palatinus Polocensis dat Sussa literas, quibus significat, se Polociæ cum parte exercitus, à Rege ijs cum mandatis relictum, vt quicquid ea in prouincia hostile superesset, modis omnibus tollere contenderet: Regem summa placabilitate & clementia Principem, quam suæ voluntatis significationem dedisset, cùm primum Magno Moscouiæ Duci bellum indiceret, ea in voluntate etiamnum permanere: eorum, qui Magno Duci parerent, hominum Christianorum cædem & sanguinis profusionem haudquaquam expetere, quinimò illi parcitum ac consultum velle, acceptas iniurias in autore ipso Magno ipsorum Duce vindicandas statuere, nisi verò essent, qui istas iniurias suo discrimine propugnare vellent: quod vt illi ne suscipiant, illorum maximè referre: hortari se, arce sponte sua potius abscederent, impetrabili venia & salute, quàm vim atque oppugnationem experirentur. Palatinus Podoliæ Mosci litteris ad Sussanos lectis, mittit subitò ad Palatinum Sussensem ac præsidiarios, qui dedi arcem postularent: illi salutem, & rerum, quæ cuiusque essent auferendarum potestatem, atque in Moscouiam tutò se referendi concessionem pacti, arcem cum omni bellico apparatu commeatuque Palatino Polocensi, militibusque à Palatino Podoliæ missis, sexta die Octobris dedunt. Iam ante Philo kmita Capitaneus Orsanensis, cui aliquot turmæ equitum, & peditum stipendiariorum cohortes erant in eam rem assignatæ, coacta non mediocri finitimis in locis ex nobilitate alijsque incolis militum manu, in Mosci ditiones excurrit, magnamque omnia populando vastitatem affert, ad duo millia pagorum incendit, & Smolensciæ suburbijs ambustis, magnum ex eo agro hominum, magnum pecudum numerum agit, suosque nullo detrimento accepto intra fines reducit. Idem non multò post Constantinus Ostrogiæ Dux, cum Michaele Visniouecio Castellano Braslauiense, & filio Ianusio Boristhenem transgressus facit, expeditissimas quasque Tartarorum alio-

rumque turmas pręmittit, has longè lateque populari, & terrorem vastitatemque in hostico circumferre iubet, ipse cum reliquis copijs Czernihouiam progreditur, castrisque ad arcem metatis, oppugnationem suscipit, ipsaque ciuitate incendio deleta, vim omnem arci expugnandæ adhibet: sed quod ea præsidio firmo, cui nihil ad omnem propugnandi apparatum deesset, teneretur, acerrimeque locum Mosci defenderent, in castris paucæ peditum cohortes essent, afflictę maximis tempestatum iniurijs, missa obsidione, vicina circum loca omnia diripit, totaque Siueriensi ditione vastata, ac populationibus ad Starodubam, Radohostiam ac Podczepouiam vsque per leuiores equitum turmas factis, præda ingenti acta discessit. Simili successu Mecislauiensis præfectus Iaroslauam oppidum pagosque quàm plurimos euertit. Rex posteaquam dierum quinquaginta spacio, Sex arcibus captis, ad quas Sussa non ita multo post Septima accessit, prouinciam omnem Polocensem mira agrorum fertilitate, magna fluminum opportunitate præditam, octauo decimo post anno, quàm esset ab hoste occupata, bello Reipublicę recuperasset, Polociam præsidijs, fines copijs firmasset, decima septima Septembris die illo de loco discedit. Vehementi quidem studio ferebatur, vt cęptum fœlicitatis cursum vrgeret, & cùm magna hostes locis omnibus consternatio ingensq; pauor teneret, longius arma sua in hostiles ditiones proferret: sed cùm & pręteriti temporis iniurię, (quibus miles admodum afflictus, equorum ingens numerus enectus fuerat) & grauiores Autumni tempestates, in dies ingrauescentes, isti voluntati & studio planè repugnarent, omni cura in comitia omnium Reipub. ordinum habenda incumbit: cumque iam ante ex castris de ea deliberatione literas ad Regni Senatores dedisset, rediens in Lithuaniam, ea ad diem vigesimam secundam Nouembris Varsauiæ habitum iri edicit, in quibus consilia de bello diutius administrando suscipiantur. Dum Vilna Rex ad comitia proficiscitur, è Moscouia per nuncium Moscicum literę afferuntur, à duobus Legatis Nouogrodię Duce Ioanne Theodori F. Mscislauiensi, & Mikita Georgii F. Romanouicio Sacharino, ad Nicolaum Radiuilum Palatinum Vilnensem & Eustachium Volouicium Castellanum Trocensem, Plescouię die trigesima octaua Septembris scriptę; hoc omninò argumento. Cùm offensę duorum summorum Principum eò progressę sint, vt arma vterque sumpserit: quibus Polonię Rex Polociam expugnarit, Magnus Moscouię Dux vindicare vicissim id factum in animo habuerit: se cum reliqua nobilitate Moscouitica ad Principis sui pedes se abiecisse, obsecrasseque, vt sanguini Christiano consultum atque parcitum vellet. Istis precibus Principem suum reliquisse locum, & belli expeditionem repressisse, nunc mutuo studio ipsis atque aliis Regis Polonię Consiliariis, apud Regem suum elaborandū esse,

vt ad


vt ad ſimilũ voluntatem & ſiſtendi curſus ſui bellici, & pacis cum Magno Moſcouiæ Duce locis omnibus, tam Regni Poloniȩ, quam Magni Ducatus Lithuaniȩ, atque etiam Liuoniæ cauſa ſuſcipiendæ adducant, inprimis verò ab eo impetrent, vt in Regiam ſuam ſe referat, ac copijs ſuis omnibus tam in Lithuaniæ quàm Liuoniæ finibus imperet, ſe ab omni in Moſcos maleficio atque iniurijs abſtineant. Hæc eadem Magnum ſuum Ducem diligenter facturum, rediturum ad ſedes ſuas, ſuoſque à vi atque iniuria cohibiturum. Interea temporis dandam vtrinque operam, vt Principes miſſis inter ſe Oratoribus rem vtilem & perneceſſariam pacẽ ac concordiam ſuſcipiãt. In extremo literarum excuſant, cur Baſilius Lopatinſcius, quem Rex ad Magnum Moſcouiæ Ducem ante expeditionem ſuam cum literis miſerat, quibus ſe bellum illi facturum iuſtum legitimumque denunciabat, adhuc in Moſcouia detineatur, promittuntque, ſimul vt principum ſe vterque ad ſedes ſuas retulerit, ſe operam daturos, vt cum mandatis ſui Principis de pace concilianda ad Regem ocyus remittatur. Sub idem tẽpus Philo Kmitha Orſacenſis præfectus ad Regem literas mittit, quas à Palatino Smolenſciano acceperat, ijs Philonem Palatinus certiorem facit, ſe à Magno ſuo Duce mandata accepiſſe, ne quam Regijs finibus atque ditionibus vim aut iniuriam adferat. Monere igitur, vt mutua etiã Philo præſtet, neque permittat, vt ſui fines trãſgreſſi, hoſtile aliquid in Magni Ducis Moſcouiæ ditionibus cõmittant. Alatis lectiſque vtriſq; literis Rex omnẽ eius deliberationẽ ad Comitia referendam eſſe iudicauit.



COM

COMMENTARIVS RERVM A STEPHANO REGE POLONIAE IN SECVNDA EXPEDITIONE ADVERSVS MAGNVM Moscorum Ducem gestarum.

Anno. 1. 5. 8. 0.





COMMENTARIVS RERVM A STEPHANO REGE POLONIAE IN SECVNDA EXPEDITIONE ADVERSVS MAGNVM Moscorum Ducem gestarum.

Anno. 1. 5. 8. 0.





Ex procurato commeatu, tormentisque atque omni grauiore instrumento bellico nauibus pręmisso, etsi nondū ex remotioribus Regni partibus copię conuenissent: tamen fama suę profectionis celerius subsecuturas ratus, xvj. Cal. Iulias Vilna proficiscitur, ac quinque millibus passuum inde consedit. Hinc ita instituta ratione itineris, vt lentius euntem vndique consequi cum equitatus, tū peditatus possit, vj. Cal. Augusti Vitepscum peruenit. Abest id oppidū Vilna, quadringentis millibus passuum, duabus arcibus & natura loci, alluēte Duna, nauigabili fluuio munitissimum. Hinc Rex inito copiarum numero, refert ad consilium, quas in oras exercitus ducendus sit, & quibus in partibus hostilis terrę bellum ordiendum. Duę peramplę ac celebres vrbes proponebantur Smolenscum & Velikilucū, quarum hęc ad Louatum fluuium, illa ad Boristhenem sita est. Sed cum iter ad Smolenscum esset per loca deserta, regionemque à nostris etiam per crebras excursiones igni ferroque vastatam, & longe à finibus ad latus dissitam, verebatur ne si eo vires conuerteret exercitus, cōmeatus & rei frumentarię inopia laboraret, & hosti ad inuadendos Lithuaniæ fines aditus pateficeret. Neq; verò si Smolēscū peteret, ab Liuonia auertēdi hostē vlla reliqua ratio futura videbatur, quæ tamē magna suscepti belli causa erat: neq; sperari poterat Moschū propter vrbē longè à suo Regno ad Boristhenē positā, vires suas in extremū discrimen adducturū. Quæ cū essent diligētius animaduersa, placuit de consilij sententia VeliKilucum ducere. Quò etsi iter erat per regiones syluestres: tamen cū & à populationibus intacta omnia essent, fluminibusq; Duna & Vsuiata tormēta & cōmeatus opportunè cōuehi possent, minor videbatur in ducēdo exercitu difficultas futura. Adhæc VeliKilucū ita Liuoniæ imminet, vt si eā vrbē Rex suę ditionis faceret, & cōmeatu è Liuoniā iter, & magnā deniq; regionē hosti adimere videretur. Deniq; illud Regi animo obuersabat, etiā accidere posse, vt si, spe pacis amissa, eā vrbē peti Moschus videret, quæ & suæ ditionis sēper fuisset, & quoquò versus intuēti firmissimū præsidiū esset, ad opē suis ferendā veniret, sicq; daretur aliqua occasio aperto Marte decernendi, cuius rei sanè Rex auidissimus erat. His accedebat quòd omnis circa VeliKilucum regio, agri fertilitate, rerum omnium vbertate omnibus alijs abundantior, hominibus iumentisque alēdis facilius commeatum suppeditare posset. Ad Plescouiam. n. vsque ager vbique cultus, regione campestri, & frequentibus vicis habitata, si in potestatem Regis redigeretur, magnas opportunitates atque vsus, relictis in pręsidio militibus, prębere posset. Ituro VeliKilucum duæ arces cum firmo Moschorum præsidio munitæ occurrebant, Velisa in citeriore Ripa fluminis Dunæ, & Vsuiata ad locum eiusdem nominis sita. Has arces,

ne quid à tergo infesti relinqueretur, partitis copijs expugnare cõstituit. Igitur Ioanne Zamoscio Regni Cãcellario cum septem millibus ad expugnãdam Velisam pręmisso, ipse quartis castris ad oppidum Surasum peruenit. Hic duabus maximè de causis quatriduum substitit Primùm vt Dunã fluuium ad traijciendum exercitum pontibus iungeret: denique vt per eã moram satis spacij intercederet ad ea cognoscenda, quæ à Zamoscio gesta ad Velisam essent, quę millia passuum 40. Suraso aberat. Sed is, vt primum per aspera itinera ductis copijs Velisam è densissimis siluis penetrauit, loci sitũ cõtẽplatus, tribus ex partibus circũducta fossa, iactoq; aggere, munitiones in arcẽ summa celeritate dirigi iubet. Nã quà ad Dunã pertingebat, cingi nõ poterat. Igitur admotis tormẽtis, cũ vndiq; verberari propugnacula, miraq; nostrorũ audacia inferri mœnibus faces animaduerterent Velisenses, incolumitatẽ pacti deditionẽ fecerunt. Qua re cognita Rex, dũ pontes ex lintribus cõtabulatis ædificãtur, ad visendã Velisã cũ familiarib⁹ excurrit.

Capta Velisa literę ei à Mosco missæ redduntur, quibus humiliter & demissè (quod pleriq; admirabantur) scriptis significabat, iam se legatũ contra & suam & maiorum suorum consuetudinem ad eum dimisisse: Cui quidem dederit ea mandata, quæ postulatæ paci, æquis conditionibus, consentanea essent: sed cum haud satis exploratum haberet, quid à se Rex postularet, vereri ne parùm esset ijs quæ legatus ipsius nomine polliceretur, contentus futurus: Petere igitur, vt aut Rex quam ocyssimè sua postulata per literas significaret, aut Legato suo id facere permitteret: Deinde vt antequam legatum audiret, suis finibus contineret exercitum, nec pateretur in regiones sue ditionis excursiones facere: Postremò ne esset cupidus fundẽdi sanguinem Christianum, neue ab oblatæ cõcordiæ studijs abhorreret, memor saluberrimæ illius admonitionis vbi Diuinus vates, Nunc, inquit, Reges sapite, erudimini terrarum gubernatores. Nam extremam Psalmi secũdi partem literis inseruerat. Rex lectis his literis, nihilo remissius exsequi destinata pergit, perfectisq; tribus ad Dunam pontibus, vniuersum exercitum in vlteriorem ripam traducit, ibiq; castra fecit. Postridiè iter facienti alię Moschi literæ offeruntur, multò quam superiores demissius scriptæ. Earum sententia erat, Legatum quocunq; Rex imperasset paratũ ire, expectaret igitur magnis itineribus eũtem, nec tridui moram, dum missũ à se Legatum opperiretur, cõsumptam magno detrimento suis rebus fore putaret. Regem nihil de celeritate consueta remittere cupientem, retardabat difficultas viarum. Siluestria erant loca, vix singulis peruia, implicatis inter se arborum ramis veluti perpetuam obijcientibus sepem. Adhæc, ob crebras paludes obiectas, cænosamque humũ, equorũ hominũq, vestigijs cedentem, ægre moliebantur transitum copię Lithuaniæ, vociferantibus in exercitu Regio militibus, lente pręcedentes tardeq; viam sternen-

tes Lithuanos, consumpto omni pabulo, nihil præter nudum solum sequentibus relinquere. Igitur Rex delectos è prætoriano peditatu trecentos Hungaros ad sternendam celerius cum Lithuanis viam præmittit. Sic Lithuani duce Palatino Vilnense, XVIII. Cal. Sept. tandem ad arcem Vsuiatam peruenerunt: Rex decem millibus passuum inde consedit. In tumulo sita est Vsuiata, ad locum per lacum, qui & arci, & fluuio ex se mananti nomen dedit. Moschi obsidionem expectantes, paucis ante diebus oppidum arci subiectum incenderant, recepta in arcem omni oppidanorum turba imbelli. Palatinus antequam arcem oppugnare aggrederetur, caduceatore præmisso, ad deditionem eos hortatur, vna adiecta denunciatione, ni se continuò dedant, & Regis clementiæ permittant, hostilia omnia passuros. Illi cum ferociter initio respondissent, tandem vbi circumduci fossam, admoueriq; vimineos corbes videre, nullam moram deditioni fecerunt, territi potissimùm aduentu peditum nostrorum, qui per. vnius noctis spacium, admirando labore intra lapidis iactum perducta fossa, continenti scopetorum ictu neminem in aduersa turri versari patiebantur. Deditis concessa à Rege incolumitate, permissum est, exceptis Præfectis, qui vellēt in Moscouiam redire Rex postridiè ad veterem Vsuiatam positis castris, nauim cum paucis ingressus aduerso flumine in lacum ad inspiciendam arcem nauigauit. Vsuiata præsidio firmata, paratisq; itineribus, XIII. Cal. Sept. decē millia passuum inde processit. Hucusq; licuit aqua cōuehere tormenta. Inde exposita in terram, iumentis subiectis vehi sunt cæpta. Sed nulla res æquè militem, atq; inopia pabuli, per quatriduum afflixit. Silua erat ad sexaginta millia passuum, tam sterilis, & aridi soli, vt deficiēte omni alio pabuli genere, corticibus arborum, & ramusculis equos milites alerent. Nam si qua palus impigre cuncta vestigantibus militibus occurrebat, ingressi pubetenus aquam, summa contentione iuncum & sirpum diripiebant. Ita per quatriduum fatigatum militem, tandem agri culti & feraces excepere, quoquo uersùs tugurijs & rusticorum casis pecora & commeatum subministrantibus. Igitur, positis castris, biduum concessa militibus iumentisq; necessaria quies, sequenti die, qui fuit VIII. Cal. Sept. confectis triginta millibus passuum, ad pagum Kupuya peruētum est. Vbi Rex, cibo raptim sumpto ad contemplandum VeliKiluci situm, quod decē millia passuum aberat, equitibus assumptis, quos præsidij causa habere secū circùm se consueuerat, profectus est. Quo satis perfecto, cū intra globi iactū arcem accessisset, sub occasum Solis in castra reuertitur. Zamoscius etiam, qui Vitepska præmissus, diuerso itinere, suas copias duxerat, & aliquot exploratores hostium exceperat, hic se Regi coniunxit. Rex postero die instructis copijs, in VeliKiluci subiectam planiciem descendens, vniuersum exercitum, quem nemo simul antea videret, in conspectum dedit, versusque

meridiem

meridiem, hostium oculis castra subiecit. Ingens erat & peramęna planicies, frumētarijs cāpis tota cōstans, quæ adulta iā segete, incredibilē omnis generis frugum copiam exercitui prębuit. Sequenti die Legati Moschorū superuenere. Quos Rex, antequā arcem obsidione cingeret, aduocato cōsilio, in tabernaculum admisit, eisq; dicēdi potestatē fecit. At ij, pręter omniū expectationē, cū existimarētur cū mādatis maxime ad pacē pertinētibus venisse, impudenter postulare cęperunt, vti Rex in Lithuaniā confestim rediret. Sibi enim non esse integrum exponere apud eum legationē, qui terram ipsorū infesto exercitu ingressus, hostilia omnia faceret. Rex, qui fraudis Moschicæ non ignarus, facile cognosceret, ad extrahendi tēporis consilia hanc quoque orationem pertinere, excedere tabernaculo Oratores iussit, cum hoc tantum adiecisset: Daturum se operam, iuuāte Deo, vt Legati propediem animaduerterent haud in Moschi ditione se esse. Itaque expugnādæ arcis cura Zamoscio demandata, eo die rem aggredi pręcipit. Arx VeliKilucana loco paulo editiore sita, planitiem spaciosam, eāque lętam & vberē circumquaqs late despectat. Vrbs muro è materia, & angusta lacuna circumdata, ab latere arcis oriētali surgens, in septentrionemq; longissime porrecta, quatriduo ante Regis aduentū, exusta ab hostibus erat, recepta in arcem omni supellectile & magna parte hominū cuiusq; ętatis. Louatus liquidis amnis inter occidentem & meridiem decurrens, ad muros arcis sese flectit, tertiamq, eius partem præterlapsus, per medium exustæ Ciuitatis in septentrionem excurrit, ac trecenta millia passuū emensus ad Nouogradiam magnam in Ilmen lacum illabitur. Præter hunc fluuium fossa & stagnis vniuersa arx cingitur. Ergo, cum capta superiori anno à nostris Polocia, documento hostibus fuisset, in ligneis muris nullam esse spem defensionis aduersus incendiū, hāc opere immenso muniuerant. Veterem trabium structuram, ex quibus muri constabant, ab imo vsque ad summū gleba & cespite obduxerant, tanta crassitudine, vt in superiore parte aggeris capacissimas corbes terra repletas statuerent. Igitur Zamoscius, vti ab Rege imperatum erat, cum atratis cohortibus, quas ipse ad bellū mercede conduxerat, cumque cæteris copijs queis Velisam cæperat, ac denique cū omni Hungarico peditu, vado Louatū trāsiuit, adhibitisque peritis expugnandarū vrbiū, loca ducendis fossis & munitionibus erigendis scripsit. Hungaricus peditatus ab occidēte Sole, Polonicus cum atratis cohortibus à septentrione, in ruina ciuitatis cōstitere. Orsi noctis initio ducere fossam, tantum operis ante lucem efficiūt, vt Sole orto coniunctas stagnis munitiones hostes conspicerent. Ea die & nocte insequenti perfectis omnibus, quæ ad oppugnationem pertinebant, Cal. Sept. octodecim muralibus tormentis quati męnia cæpta sunt. Quo die cum magna vis globorum & pulueris consumpta esset, tamen perfodi mu-

di muro cohærens agger non potuit. Legati tormentorum sonitu tanquã ex alto sopore excitati, aditum sibi ad Regem de pace agenda impetrant. Admissi iterum, iam inde vsque ab initio belli, legatorum, qui vltro & citro missi erant, acta repetere cœperunt, postulareque primum, vti Rex, soluta obsidione, ea parte Liuoniæ qua nnnc potitur, esset contentus: deinde, vt pro captiuis, qui plures apud ipsum essent, alios item captiuos cũ duabus arcibus acciperet. Rex, mittere eos ambages, & tam absurda iussit: frustra eis pacis mentionem facere, ni vniuersa Liuonia cedant. Illi cũ nulla se ea de re mandata habere confirmassent, orant, vt misso celeriter tabellario, Principem suum consulere liceat. Id petentibus concessum. Inter hæc strenue arx ab Vngaris Polonisque oppugnatur. Rex, quid quoque momento ad munitiones agatur cognoscit, & quid fieri velit, identidem præfectis imperat.

Inde cum à propugnaculi aggere Hungaris opposito tantum terrę procidisset, vt miles eousque eniti posse putaretur, vnde prælongis hastilibus contingere superiorem muri contignationem posset, impigri iuuenes ex peditatu equitatuque cum notæ virtutis Centurionibus, ad inferendum incendiũ deliguntur. Hi tędas, seuo, pice, alijsque flammæ fomentis illitas super capita leuantes, aquam stagnãtem pectora contingentem transeunt, ac per arduum aggerem, alius ante alium certatim adnituntur, facesque cuspidibus præfixas hastarum, pinnaculis admouent. Moschi in ascendentes ingentem vim saxorum ingerunt, trabes deuoluunt, aquam feruẽtem per tubos capitibus infundunt, omnique genere telorum nostros obruere conantur. Tanta quidem fuit Moschorum in propugnatione pertinacia & vitę contemptus. vt cum ad certum ictum directa è munitionibus nostris tormenta, ad restringendum incendium cumulatos miserabili strage prosternerent: tamen recentes alij confestim loca deiectorum occuparẽt, gnari haud dubie, illic sese viuendi finem facturos. At nostri mutua adhortatione cõfirmari occupatũ cliuũ tuẽtur, incẽdiũ excitãt, faces ingerũt. Tãdẽ cũ iã satis ardere turris videretur, gliscẽti incẽdio se recipere coacti, inter tela hostiũ repetita aqua munitionib. recipiũtur, interfectis octo gregarijs militib. vulneratis paulo pluribus. Flagrãte adhuc incẽdio turri, hostes murũ interscindũt, neque vltra serpere patiũtur. Rex cũ animaduerteret, ẽtsi oĩs superior muri pars deflagraret, tormẽtis nõ posse ita decuti aggerẽ, vi irrũpẽtib. nostris aditus patefieret, præsenti cõcilio rẽ expedit. Imperat vt ex corijs facta testudine protecti milites murũ subeãt, ac ligonib. imã aggeris partẽ subruãt, inde ingressi ad internas trabes, & fũdamẽta, vbi res postulet, aut cumulatis facibus, nudatũ aggere murũ incẽdãt, aut, si cõmode, & sine nostrorũ periculo fieri possit, puluere supposito turres euertãt. Hæc qua rõne, & modo fieri velit, Prefectos edocet, cõicatoque cũ

Zamo-

Zamoſcio cõſilio, ex vtriſq; munitionibus, vno tẽpore rẽ aggredi pcipit. Præmio propoſito allecti milites alacri aĩo imperata faciũt, excauatoque aggere recepti, vltimum excidium hoſtibus allaturum opus impunè moliuntur. Hinc Vngari pulueri ſubijciendo, cuniculis fundamenta petunt. Hinc Poloni trabes interiores ad incendendum rimantur. Cum quidam noſtrorum, contrario cuniculo acto hoſtes, operibus occurſuros cenſerent, eximit huius rei metum, per ruinam præcipiti fuga ad nos trãſgrediens Moſchus, qui animaduertiſſe quidẽ ſignificauit eam molitionem hoſtes, ſed nihil de puluere ſubijciendo ſuſpicatos, tubulos tantum, ſi trabes incendantur, ad infundendum aquam conſtituiſſe. Zamoſcius, etſi per caduceatorem ſæpe antea hoſtes ad deditionem hortatus eſſet: tamen iuſſu Regis, arcem & hoſtes conſeruare cupientis, traſfugam quoq; ornatius indutum, muro admoueri cum linguæ Moſchicæ peritis iubet, hoſtibusq; denunciare, adeſſe vltimum tempus & adhortandi eos, & cõſeruandi opportunũ: vbi in amentia perſiſtentes vim, quam benignitatem Regis experiri malint, ab effetatis iracũdia militibus extrema quæq; eſſe paſſuros. Hoſtes ſiue fiducia loci ſubnixi, ſiue fato ſuo acti, atrocibus conuitijs trãsfuga excepto reſpondent, citius ipſum in crucem agi ſe viſuros, quàm proditoris cõſilio obtemperaturos. Quorum pertinacia animaduerſa Zamoſcius, cùm Vngaricas tùm Polonicas munitiones adit, docetq; optimum factu eſſe, vno tempore, & incendio, & puluere rem tentare. Suppoſitus ab Vngaris puluis, ita omni aggere turrim aduerſam nudauit, vt facile incẽdio obnoxia eſſet. Quòd conſpicati Vngari, tædas iterum flãmæ alendæ paratas inferunt, turriq; acerrime defendentibus Moſcis, ſubijciunt. Quòd incendium, cõrrepta ſuperiore contignatione, vſq; ad alterum propugnaculũ, adiuuante Cauro vento, ſe fudit. Poloni quoq; pari induſtria, reuulſo aggere, imas muri partes ſuccẽdunt. Ingruentibus tenebris magna pars noctis fremitu militum traducitur, hoſtibus irruptionẽ, & internecionem ſequentis diei minantium. Quarta ferè vigilia, cùm ortum à Polonis incendium, reſtinctum iam putaretur, ſpirante vehementius Borea, repente inſtauratũ in immenſum augetur. Ita hoſtes vndique graſſãtem flammam ſiſti minime poſſe rati, tandem vltimo coacti periculi metu orta luce, deditionem ſeſe facturos pollicentur. Nihil aliud reſponſum, niſi vt extemplò poſitis armis, & reſtincto incendio, Magiſtratus exeant, Regis arbitrio ſeſe commiſſuri. Quos primum venire non auſos, miſsi homines idonei inuiolatos per ruinam arcis eduxerunt. Quibus conſpectis vociferabãtur milites: Idcirco dimitti hoſtes iterum, vt tertio ſumptis in Regem armis, pluribus cõmilitonum exitio eſſe poſsint. Ludibrio ab hoſtibus lenitatem & clementiam Regis haberi. Irent igitur quibus tot laboribus fatigatis ſua vulnera, & ſociorum interitus acerbi eſſent, hoſtiumque ſanguine, peremptorum

com-

commilitonum manibus parentarent. Sic alius ante alium nullo Ducum imperio exaudito, per ruinam irrumpunt, ac magna facta cæde Arcem diripiunt, habita tamen in illo impetu militari ratio ætatis & sexus. Cõseruatis enim pueris, & fœminis, in puberes tantum sęuitum est. Quorũ ẽt non pauci misericordia nostrũ conseruati. Maxima prędę pars incendio absumpta est. Tota.n.arx incredibili celeritate deflagrauit, incensusq; puluis tormentarius multis & nostrorum, & hostium exitio fuit. Hunc exitum arx VeliKilucana habuit, Nonis Septembribus, quinto die postquam oppugnari tormentis cępta erat. Cognita hostium cęde Rex indoluit, inde missi propere, qui milites à cede prohiberent, actum de hostibus nunciarunt. Fuere non pauci, ijque graues iudicio & auctoritate homines, qui approbato militum facto, immerito trucidatos hostes dicerent, quod nimia Regis cum in victos indulgentia, tum facilitas in hostibus conseruandis, eo audaciæ barbaros prouexerit, vt nullum sit tam ignobile castellum, quod non sit ausurum inuicti Regis exercitus oppugnationem expectare: quam barbarorum audaciam tantam foueat vna percepta opinio animis, vltima expertis paratum in Regis lenitate perfugium fore. Qui dimissi ad Polociam, Velisam, Vsuiatam essent: exceptos VeliKilucum, quod experti Regis benignitatem essent, contumacius restitisse. Noxiam esse clementiam, quę nouę subinde dimicationis causa esset: Deterrendos à nimia audacia cędis metu, vt aliquando statuant, non esse victis misericordia victoris abutendum. Neque enim sperandum, vt immanis & fera gens aliorum humanitate ad virtutis æmulationem prouocetur. Neminem hoc biennium lixarum & calonum nostrorum ab illis captum esse, quem non misere excruciatum necauerint, vt superiorum temporum crudelitatem obliuiscerentur, cum deditis data fide, & mox violata, coactis in vnum & interfectis hominibus, pecoribus, iumentis, in omne genus, ętatem, sexum, pari sęuitia grassarẽtur, quę exempla in alios ederet, ijsdem barbaram gentem coercendam.

His & similibus excusati milites. Inde Rex cęsis hostibus, & incensa arce, cũ in consilio retulisset, instaurarine arcem de integro placeret, vetusti nominis & loci sibi quidem rationem habendam constituit, sed adeo erant omnia diruta, vt instauratio difficilior noua ędificatione videretur. Vniuersa enim ædificia deleta funditus incendio erant. Stabat muri ambitus crebra turrium ruina interruptus, & veteribus mœnibus additus agger, conuulsus labefactatusque inclinabat, consumptis igne interioribus trabibus, quę terream molem sustinebant. Igitur Rex ęstimata natura cęli Moschici, ne temporis asperitate laboraret exercitus, maturari opus adhibita celeritate iubet. Diuiso vniuersæ arcis ambitu, in partes quatuor, binas ipse sibi cum Vngaris instaurandas desumpsit: Polonis tertiam, quar-

tã Lithuanis attribuit, vt mutua inter diuersas nationes æmulatio industriç, celerius inchoato opi absolutionẽ afferret. Iã aliquot dies in ope cõsumpti erát, cũ refugiẽtes in castra pabulatores nũciãt obsessas esse vias ab hostib', q dispsos in agris frumẽtatores quotidie intercipiũt. Aberat VeliKiluco arx Toropecia, 60. millia passuũ, arte, situ, & milite munitissima, vnde excursio ɋ pabulatoris fiebat. Quo cognito, Rex qngentoseqtes, cẽtũq; pedites, sclopetarios eqs vehi solitis, duce Georgio Barbelio ad depellẽdos ex agris hostes mittit. Georgius partĩ à trãsfuga Tartaro, partĩ ab agrestibus ĩterceptis certior factus est, multo sua opinione maiores esse hostiũ copias, ꝙ præter solitũ Toropeciæ præsidiũ 4. millia equitũ iuxta arcẽ essent, 30. vero millibus passuũ vltra Toropeciã, sex millia cõsiderẽt. Ita Georgius quamquã pugnandi cupiditate arderet, veritus tamen ne temere fecisse videretur, vbi cum tanta suorum paucitate, quatuor millia hostium aggredi auderet, omissis in præsentia speciosis conciliis, statuit tutiora pręferenda. Igitur remisso propere Hieronymo Philippouio, quæ comperisset Regem docet, simulque, vt missis militibus auxilio, pugnandi potestatem cum hoste faciat, poscit. Rex Iohannem Zbarauum Palatinum Brazlauiensem, cum mille quadringentis equitibus Vngaris & Polonis mittit. His additi centum viginti pedites. Vngari celeritatis causa equis vehi iussi. Palatino mãdatũ, vt occidente Sole castris egressus, totam noctem continuato itinere, daret operam, vt ante lucem copias cum Georgio iungeret. Erat is inter castra nostra, & Toropeciam pari fere interuallo. Itaque iunctis postero die copiis, instructoque agmine, quantum angustia locorum patiebatur, iter accelerabant. Erant explorandi caussa, per vias non longis inter se spatiis dispositi hostium antecursores, qui cum nostris qui præmissi erant, velitati, pugna leuiter tentata, refugiunt, Toropecianisque nunciant, aduentare quidem hostium exercitum, sed quantus esset sciri non posse, silua prospectum eripiente. Illi iustum exercitum adesse arbitrati, obsidionemque veriti, omnem supellectilem in arcem ex oppido comportant, relictoq; pręsidio, quod tuendç arci satis esse videretur, quatuor millia equitum ita foris constituunt, vt si nostris essent futuri pares, prælij discrimen subire nõ dubitarent: impares cederent fortunç, in fuga salutem positam. Iam in cõspectu hostium obequitabant triginta nostrorum equites, ad lacessendum præmissi, sclopetarijque peruenerant ad riuum impeditæ ripæ, qui inter ipsos, & hostes fluebat, cum aduentantium nostrorum medium agmen conspicati Mosci, nondum postremo conspecto, in fugam effunduntur. Sublato clamore insequuntur nostri, equorumque pernicitate fugientes assequuti, cædunt, capiuntque. Erant loca palustribus aquis impedita persequentibus, multo quam fugientibus difficiliora, quòd hostes nostri vadis & transuersis semitis, euitato periculo locorum, in siluas se pro-

ripie-

ripiebant, nostrorum equi, aut a quis ignotis hauriebantur, aut instabi
li humo, & alto cœno conflictabantur. Nox persequendi finem fecit.
Vno ex nostris gregario milite desiderato, cęsi ex hostibus quingenti, ca-
pti centum, inter quos fuere clari nobilitate auctoritateque homines, in-
duti vestibus auro, & purpura intertextis. Sed ante omnes conuerterant
multorum in se oculos Dementinus, Cerementinus, & Gregorius Nas
chiochinus ossanasouicius, qui proxima ęstate cum amplo comitatu nun-
cius Vilnam ad regem erat missus, Hic nostros intuentes, Aspicite victo-
res, inquit, ludibria fortunę. Cui nuper honoris caussa splendide ob-
uiam processistis, eundem nunc reuinctis post tergum manibus captiuum
ducitis. Sub id tempus quo Rex Velikilucum oppugnabat, Arx Neuela à
DorahutaisKio Palatino Polocensi frustra obsidebatur. Tanto enim is
contemptui hostibus erat, vt sępe ex arce eruptio in munitiones fieret,
nullo hostium, magno Lithuanorum detrimento. Itaque Rex Ioannem
Bornemissam, cuius in expugnatione Velikilucana, præclara opera vsus
erat, cum septingentis peditibus Vngaris, subsidio Neuelam Palatino mi
sit. Qui simul atque eo peruenit, damnata ratione obsidionis ad ipsam ar-
cis fossam munitiones perduxit, & quatuor muralibus tormentis, quę se
cum aduexerat, idoneo loco dispositis, verberare muros cœpit. Hostes eo
dem euentu, quo aduersus Lithuanos vsi fuerant, Vngaricas quoque mu-
nitiones se perturbaturos confisi, patefacta porta in nostros impetum fa-
ciunt. Quod conspicatus Bornemissa, conclamat ad arma, suosque ad prę
lium hortatur. Ipse, stricto gladio ante omnes, in hostes irruit, multos ob
truncat, reliquos, inter crebros tormentorum globos, in arcem compellit.
Nec alias eruptiones Mosci tentarunt, vsi tantum maioribus tormentis,
quæ adeo perite dirigebant, vt nuuc ora tormentorum nostrorum, nūc la-
tera, nunc rotas, perrumperent. Erat necessario mœnibus inferendus ignis,
vnica Moscicarum arcium pernities, sed loci iniquitas sine manifesto pe-
riculo id fieri non patiebatur. Præceps ęque ascendentibus, & descenden-
tibus fossa, aggredi vt constituerant rem milites, prohibebat. Quarè Borne
missa animaduersa aduersus turrim angularem, quam incendere constitue-
rat, è munitionibus cuniculum agere instituit, per quem in fossam arcis
aqua destitutam transitus militibus fieret. Quo si reciperentur, nec ab ho
stibus conspici possent, quòd angusta & præalta fossa eos conderet, & ob
propinquitatem, tutius celeriusque subire mœnia cum facibus pos-
sent. Hoc opere perfecto, impune muro succedunt, turrimque in-
cendunt. Inopinata re perterriti hostes, deditionem polliceri cœperunt,
vbi cum armis, rebusque omnibus abire eis liceret. Bornemissa respondit,
satis multa se hostibus largiri, si vitam concedat. Eam si conseruare volue
rint, positis extemplo armis, relictisque rebus omnibus arce exeant. Nul-

Iam interponere moram ausi arcem dedunt, incolumesque omnes, exceptis Præfectis, qui se dedere noluerunt, dimittuntur. Duæ adhuc supererát arces vicinæ Zauolocia & Oserescia, quas Rex, etiamsi minime idoneo anni tempore, sibi expugnandas statuit, ne quid hostium in occupata regione relinqueretur.

Igitur Zamoscio ad expugnandam Zauolociam misso, castra mouet ad Neuelam, vt & hostibus aduentus sui propinquitate, maiorem metum incutere, & si forte diuturna obsidio Zauolocię foret, quæ aquis, situ, & pręsidio munita ferebatur, opportune auxilia subministrare oppugnantibus posset: deinde vt ad conuentus agendos in Poloniam rediturus, quę bello parta tuerentur, illic præsidia disponeret. Palatinus Vilnēsis Osericiam missus, percontatus ab hostibus est, vtrum VeliKilucanos, an reliquarum arcium pręsidiarios imitari velint: hi enim, quod Regis se clemétię permisissent, incolumes dimissi erant: illi contumaciæ pœnam morte luerant. Hostes saluti consulunt. Pręfectus arce tradita, petijt à Rege vt suas ad Oratores literas perferri pateretur, quibus literis deditionis ignominiā deprecatus scribebat: maluisse se tot fortes viros ad meliora Principis sui tempora reseruare, quàm eorum internecione, iram inulcti & fortunati Regis experiri. Inter hæc nuncius ex interiore Moscouia reuersus, tam longas à principe Moschorum literas attulit, vt earum charta facile hastæ lōgitudinē ęquaret. In ijs literis de originis suę vetustate, maiorū que ꝑpetuo sup istas nationes īperio, multa fabulose iactabat. Inde aliquā do post lōgas ābages ad cōditiones pacis deuolutus, CHochenhausū cū septē in Liuonia arcibus, redditurū se pollicebatur, si Rex Velikilucū, Velisam, & Neuolam restitueret. Contentum etiam se esse, vt Liuonię titulū ambo pariter vsurparent. In extremis literis vberiora se oratoribus mandata per nuncium suum dedisse significabat. Quibus cum absente Rege (ita enim ij postularant) senatus datus esset, post longam disceptationē confici nihil potuit. Zamoscius interea acriter Zauolociam oppugnabat. Quę cum esset latis vndique altisque Paludibus circumdata, pontem nobilem natatilemque facere ex trabibus coniunctis instituit, qui per aquas contis agi, atque ad munitiones dirigi ad transitum possent. Erant pręacuti stipites, ex aquis eminentes spatio pedum viginti ab vlteriore ripa distantes, qui terræ applicari pontem non patiebantur. Itaque cum ad ducendam fossam, & iaciendum sub muro aggerem, incendendasque turres Vngari transire cœpissent, è ponte desiliendum necessario erat in aquam, quę inter stipites, & terram intercedebat. Quæ res cum celeritatem transitus impediret, multi nostrorum vulnerabantur ex arce, & aquæ frigiditate corpora transeuntium rigebant. Iam enim & niues ceciderant, & terra stagnantes aquę gelu concretæ visebantur. Transire tamen

men milites non dubitant, qui omnia pericula ſubire, quàm obſidionis diuturnitatem tempore tam aſpero tolerare malebant. Hoſtes cum viderent, difficultate tranſitus impediri noſtros, quo minus iis qui iam tranſiſſent, mature auxilium ferre poſſent, arce egreſsi eos adoriuntur. Magno ardore vtrinque facto concurſu, dimicatur. Vincuntur hoſtes, & ab inſequẽtibus noſtris ad portam vſque pelluntur, cæduntur que. Plures ex arce miſſi repente fugientibus ſubueniunt, præliumque inſtaurant. Noſtri, cum & multitudine hoſtium premerentur, & è muris, magna globorum miſsiliumque omnis generis procella obruerentur, neque adiuuari è munitionibus a ſuis poſſent, pedem referre incipiunt: mox acrius vrgentibus Moſcis ad aquam repelluntur. Ibi cum alius ante alium capere pontem niteretur, partim ſclopetis è muro vulnerantur, partim ſeſe trudentes præcipitantur, vndiſque immerguntur. Erant cum ex equitatu, tum ex peditatu, promptiſsimi Vngarorum vulnerati, tempuſque ad curanda vulnera, propter augeſcens in dies frigus, incommodum. Itaque multorum animis deſperationem, non vis hoſtium, neque locus, ſed anni tempus incutiebat. Quod animaduertens Zamoſcius accomodata ad tempus oratione milites confirmat: docet, incommodum, quod loci iniquitate accepiſſent, & exiguum per ſe eſſe, & tot ſecundis præliis, continuataque per duos annos victoria penſandũ, ne ſua deſperatione hominum opinionem imminuerent, qui vbique terrarum, & gentium perſuaſum iam habeant, ipſorum virtuti neque immenſam itinerum longinquitatem, nec vires hoſtium, nec denique locorum temporumque aſperitatem obſtare poſſe. Ad gloriam Regis, famamque ipſorum pertinere, ne vlla ſoluatur infecta re obſidio, quæ teſtetur, non eſſe inuictum Stephani Regis exercitum. Conclamant omnes perſeuerandum eſſe, & aut omnibus occumbendum, aut commilitonum interfectorum deſiderium, ſauciorumque dolorem, interitu hoſtium eſſe leniendum. Rex cognitis quæ ad Zauolociam gerebantur, Stephano Carolio cum peditibus octingentis eo miſſo, numerum obſidientium auget. Ipſe, cum iam niuibus oppleta caſtra eſſent, frigoreque & fame periclitari iumenta cœpiſſent, munitis arcibus, omnique regione equitũ peditũque pręſidiis firmata, in Lithuaniam reuerſurus, iter Polociã pronunciari iuſsit. Quo itinere ad expugnandam eam vrbem ſuperioribus temporibus, Moſchorum etiam Princeps exercitum duxerat. Vulgata fama Regis profecturi, vehementer poſtulare legati cœperunt, vt, dato ſenatu, ſibi de integro agere adhuc de pace liceret. Sperare ſe, ſi colloquii poteſtas fiat, permagnum id ad conficiendam pacem momentum allaturum. Re dato ſenatu, cognitiſque legatorum promiſsis, totam rem in Poloniam reiecit, ac legatis ſequi ſe iuſsis, Nonis octobribus ab Neuela deſtinato itinere proficiſcitur. Erat ad Polociam paſſuum centum & viginti

ginti millia, iter siluestre, sed partim crebris paludibus impeditum, partim soli sterilitate incommodũ. Itaque cum singuli iussi essent sibi tantum cibi, & pabuli comparare, quantum Polociam vsque satis esse videretur, iter ingrediũtur. Non pauci tamen equos labore, frigore, fame enectos amisère. Iam in Lithuaniam peruenerat Rex, cũ nostros Zauolocia potitos accepit. Mosci enim cum nostros recentibus copijs auctos, ad oppugnationẽ, summa vi tentandam, rebus omnibus comparatis, forti animo pati omnia obsidionis incõmoda vidissent, neque vnquam (vti postea dicebant) gentẽ glorię cupidã, infecta re abiturã sperarent, deditionẽ fecerunt, ægreque ab iratis militibus defensi, incolumes dimissi sunt. Rex ijs etiã militibus, quos secum habere solitus erat, in hyberna dimissis, præcepit, vt intenti in õnes occasiones essent, scirentque se, simul atque Moscus aliquid in finibus moliri cœpisset, iter in Moschouiam esse suscepturos. Sic prouisis constitutis que ex sententia omnibus, magnis itineribus confectis, tertio Nonas Nouemb. vrbem Vilnam est ingressus. Quo post triduũ Ambat nuncius à Turca, Legati à Tartaro veneruut. Turcicus in senatum introductus, nomine Cæsaris primum gratulatus Regi victoriam est. Deinde hortatus eum, vt qua fide & constantia hactenus amicitiã vterque coluisset, ea in posterum etiã colerent: & si quid hostile, tẽpore belli Persici, Rex Viennensis (sic enim Imperatorem Romanorũ Turca nominat) in finibus suis faceret, eum Rex, pro iure amicitię, & fraternitatis coerceret. Legati Tartarici flexis ante Regem genibus enixe orarunt. Eorum orationis hæc sententia erat: Gratulari suum Imperatorẽ, Regi, ob rem benè & prosperè bello gestam: deinde cupere cum eo perpetuam pacem iungere: postremo, auxilia, si necesse esset, quanta Rex vellet, aduersus Moschum polliceri. Rex, quod pro temporum ratione visum est, vtrique Principi dato responso, Legatos eorum dimisit.

FINIS.

Apud Hæredes Antonij Bladi impressores Camerales. de Permissu Superiorum.

M.D.LXXXII.



